CONSTITVTIONES
EDITAE
IN DIOECESANA SYNODO
HABITA VITERBII

Ab Eminentiss. & Reuerendiss. D.

CARD. BRANCACIO

EPISCOPO VITERBIEN. ET TVSCANEN.

Die XXV. Septembris MDCXXXIX. 1639.



[redacted] [redacted]

Fuit antea Epus Capuaquensis, sed non Cardinalis; et ibi celebravit synodum anno 1629.

VITERBII.

Apud Marianum Diotalleuium Impressorem Episcopalem.

Synodos celebravit in hac dicta Em.us Brancaccius

An. 1638 = 1639. = 1649. = 1653.
1656 = 1658. = ex libro in: Serie
degli Imperadori =

EDICTVM

INDICTIONIS SYNODI.

FRANCISCVS MARIA

MISERATIONE DIVINA

Tituli Basilicæ SS. Duodecim Apostolorum
S. R. E. Presbyter Card. Brancaccius
Episc. Viterbien. & Tuscanen.

Vniuersis, & singulis Christi fidelibus Ciuitatum, & Diœcesis nostræ Gratiam, & Salutem in Domino sempiternam.

PRIMA suscepti cura regiminis, & pastoralis nostræ conamina sollicitudinis, procùl dubio esse debebant, vt nostrarum Ouium vultus præsentes agnosceremus, ne si quæ fortè irrepissent

infirmitates, remedia differrentur; cum inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ ſint, quàm ad deſides, negligenteſquæ Rectores. Id pro viribus in noſtra proxima præterita Viſitatione præſtitimus; cumque nonnulla repererimus, quæ emendatione indigerent, & correctionem expoſcerent; opportunum duximus, vt ſacris etiàm conſtitutionibus morem in hoc geramus, Diœceſanam Synodum conuocare. Illam igitur (Deo fauente) ad proximam Dominicam quartam Septembris indicimus celebrandam, vt quo tempore miſericors manus Domini affluentes noſtris vſibus tribuit è terra fruges; eodem & nos grates rependere, & vberrimos ex cordium noſtrorum terra illi referre bonorum operum fructus prœpoperè conaremur. Hoc certè perficiemus, ſi finem Synodorum eſſe penſantes, ad mores ſcilicet moderandos, exceſſus corrigendos, & controuerſias componendas vnanimi noſtrûm conſenſu, & totis viribus, vt cupimus id intendamus. Prœſenti igitur noſtro Edicto monitos eſſe vo-

lumus

ſumus omnes, & ſingulos Canonicos, Dignitates, Beneficia cum cura, & ſine Commendas, & Præpoſituras obtinentes; tàm Sæculares, quàm Regulares, Abbates, Rectores, Archipresbyteros, Priores, Vicarios, cæteroſque qui de Iure, aut Conſuetudine; & præſertim, ex Sacri Concilij Tridentini, & felicis Recor. Gregorij XV. de exemptorum Priuilegijs, conſtitutionibus adeſſe tenentur, quòd ſtato die ſummo manè in noſtram Santi Laurentij Cathedralem cum habitu congruo, & decenti, ſub pœnis à Iure ſtatutis, quacunque ſemota excuſatione, niſi ex iuſta, & à nobiſprobanda cauſa, ſe perſonaliter ſiſtant, nec indè niſi legitima obtenta licentia præſumant ſub ijſdem pænis diſcedere. In quorom fidem has litteras Edictales noſtra, noſtrique Cancellarij manu ſignatas confici, ſigilloque noſtro muniri, & promulgari mandauimus; quam affixionem etiàm habere vim volumus, & valorem, ac ſi ipſis ſingulis, quorum intereſt, intimatæ, & denunciatæ fuiſſent. Da-

tum Viterbij in nostro Episcopali Palatio apud S. Xystum XVIII. Kalendas Septembris MDCXXXIX.

Franciscusmaria Card. Brancaccius Episcopus Viterbieñ & Tuscaneñ.

Clericus Crucianus Tonius de Hespello Cancel.

LI.

LITERAE SYNODALES.

Ad Archipresbyteros, Rectores, & Vicarios foraneos Transmissae.

Molto RR. come fratelli.

D*OPPO terminato il corso della nostra visita Pastorale richiedeua senza fallo il dritto dell'Ecclesiastica Disciplina, che à quei mali, che con gl'occhi veduto, e con l'orecchie sentito habbiamo esser nel nostro Gregge penetrati, porgessimo efficace rimedio. Per queste raggioni, e per eseguir non meno quelche le Canoniche Constitutioni, & il Sacro Concilio di Trento commanda, habbiamo risoluto celebrare il nostro Diocesano Sinodo (piacendo al Signore) l'vltima Domenica del vicino mese di Settembre in questa nostra Chiesa Catedrale di S. Lorenzo, n'è parso oportuno perciò auuisar le Carità loro d'alcune cose le quali deuono per loro parte precedere questa Santa attione, perche riesca à maggior gloria del Signore Iddio, e giouamento dell'anime alla nostra cura commesse.*

Primieramente in tutte le ferie Quinte di queste precedenti settimane celebraranno, ò faranno celebrare nelle loro Chiese la messa dello Spirito Santo, ò vero essendo tai giorni impediti da feste doppie douranno dirne la Colletta, e l'istesso in nome nostro esortaranno, che faccino i Reuerendi Regolari de luoghi.

2 S'ado-

2 S'adopraranno efficacemente, perche in vna delle feste, che cadono in questo tempo, il Popolo, e Clero tutto si communichi à fine, che la mano diuina guidi l'opera, e ne facci raccogliere più abbondantemente il frutto.

3 Prima che si mettino in camino i Curati per venir al Sinodo doueranno auuertire, se nelle loro Cure vi siano infermi, e doppo d'hauerli personalmente visitati, e consolati, li lascino raccommandati ad alcun Sacerdote approuato da Noi per l'amministratione de Santi Sacramenti, Secolare, ò Regolare almeno.

4 Li Curati portino seco nota di quelli, che non si sono communicati in questa prossima passata Pasqua di Resurrettione, de Scommunicati (se vi saranno) de publici Peccatori, Bestemmiatori, e Concubinari, e simili, che scandalosamente viuono, col numero ancora, e stato dell'Anime della loro Parocchia, ò Cura.

5 Porteranno similmente nota de Preti, e Chierici, che non risiedono, de gl'abusi, e mancamenti communi, e più frequenti del Popolo, e del Clero, e se hauaranno auuertito cosa, che ne Regolari sia contra la buona loro disciplina, & osseruanza, e per fine li benedichiamo nel Signore. Viterbo nel nostro Palazzo Vescouale di S. Sisto 15. Agosto 1639.

Al piacer loro.

Francescomaria Card. Brancaccio Vescouo
di Viterbo, e Toscanella.

AD HONOREM INDIVIDVAE TRINITATIS.

B. Mariæ ſemper Virginis, SS. Laurentij Valentini, & Hilarij Patronorum.

PROAEMIVM.

QVÆ Prædeceſſorum b. m. Epiſcoporum Synodalibus Cōſtitutionibus ſancita ſunt, penè omnia complectuntur præcepta, quibus ſubditorum mores corrigi, melioreſq. reddi, & conſeruari in Eccleſiaſtica Diſciplina peroptimè poſſunt, adeò quod vix addere poterimus aliqua. Verùm cum vt fert humana fragilitas, [a] nihil tàm fixum animo ſit, quod neglectu, & tempore non obſoleſcat, ob id pleraq. antiquata ſint: quod autem antiquatur, & ſeneſcit, vt ait Diuus Paulus; [b] Propè interitum eſt; opere pretium eſſe duximus, denuò ad vitam educere, & illorum obſeruantiam nouis inculcare præceptis, ne ob antiquitatem obliuio inducta permittat impunitatem, quam à nobis inpoſterùm nullatenùs expectent; nam, vt ait Bernardus: [c] Peccatur aut ſtatuendo, quæ non tenentur, aut quæ non tenentur diſſimulandò.

a *Bernar. de conſid. lib. 1. c. 2.*

b *Ad Hebr. 8.*

c *de conſid. lib. 3. c. 11.*

De Fide Catholica, & Diuino Cultu, Magica Arte, Blaspemijs, & Incantationibus.
Cap. I.

a Ad Hebr. xi.

CVm sine Fide, Apostolo teste: a impossibile sit placere Deo, meritòq. Ianua Christianæ Religionis dicatur, & fundamentum; omni opera, atq. industria, summoq. studio elaborandum est, vt ea non solùm à cunctis amplectatur, sed etiàm integra, & illibata perpetuò seruetur; quapropter in his nostris Synodalibus Constitutionibus ab illa exordium sumentes, statuimus, & mandamus, Vt Archipresbyteri, Vicarij Foranei, ac Testes Synodales assiduè inuigilent, & diligentèr perquirant, an quis in ditiône sua reperiatur, qui in hæresim, vel apostasiam à Fide lapsus sit, aut de his se suspectum reddiderit. Quod exactiùs in illis inuestigent, qui tamquàm recentèr ad Fidem conuersi quæstuandi gratia per oppida diuagantur; Ac si tale quid inuenerint, statim ad nos deferant.

1. *Ex Synodo prima Eminentissimi Muti fol. 2. de fide Cath.*

2. *Ex eadem Synodo ibidem fol. 3.*

Illud ad Parochorũ etiàm officiũ pertinere dignoscitur, videlicet procurare, vt Ægyptiorũ, seu Cĩgarorũ sortilegũ, fallax, & vagũ genus hominũ Catholicæ Veritatis signa demonstret; quamobrem inquirant Parochi, an hi statutis temporibus Sacramenta percipiant Ecclesiastica, an Ecclesiæ præceptis obtemperent; an sortilegijs; & ex manuum inspectione diuinationibus simplices decipiant fideles, si quos culpabiles repererint, ad nos deferant statim, & reos carceribus mancipari curẽt.

3. *Ex eadem ibidem fol. 6*

Impressores librorum absq; nostra, vel nostri Generalis Vicarij scripto exarata licentia nullos libros imprimant,

mant, aut scripturas sub pæna scutorum quinquaginta, ipsaq; licentia, & permissio in ipso opere imprimatur, neq; vendi possint, aut publicari, nisi prius cum originali facta collatione in nihilo discordare per nos compertum fuerit. Anonymum autem opus nullum prodeat in lucem.

Vt Blasphemi aliquo modo coerceantur, hortamur in Domino, & mandamus nostris subditis vtriusq; sexus, quatenùs si quos Deum, vel B. Virginem, quod absit, aliosq; sanctos blasphemantes audierint, statim ad Nos, vel nostram Curiam deferant; vt autem spiritualis addatur etiàm stimulus, ad publicos hosce blasphemos denunciandos sciant decem Annorum Indulgentiam à Concilio Lateranensi sub Leone X. Pont. Max. concessam illos reuelantibus. 4. *Ex eadem Synodo fol. 17. de blasphem.*

Iudæis, qui tàm per hanc Ciuitatem, quàm aliò in Diœcesi transire, & morari contigerit, nemini liceat operam, vel seruitutem præstare, neq; cum illis cibum sumere, aut azimos comedere, neq; eos domi detinere, neq; die sabbati ijs ignem accendere; qui contrà fecerit pænam scutorum decem subibit; Meretrices autem, quæ cum eis quouis prætextu, aut ratione commercium habebunt, fustibus cædentur.

De ludi Magistris. Cap. II.

AD hoc munus admissos illud præcauere oportet, vt à vetitorum librorum explicatione, & eorum qui bonos adolescentium mores corrumpere possunt, abstineant; atq; aliquando sacrum Concilium Tridentinum, sacros Hymnos, Cathechismum Romanum, & alia sacrorum Auctorum scripta illis explicent, & sal- 1. *Ex p. Synodo Mosti fol. x i. eodem tit.*

tem in ſabbato quolibet libellum Doctrinæ Chriſtianæ memoritèr cogant recitare, ſub pœna inhabilitatis.

De Concionatoribus, & Concionibus.
Cap. III.

1. Ex Synodo Mõtill. fol. 34. tit. de Prædicat mun.

VIx ſine magna Populi offenſione accidere poteſt, vt Clerici, qui laicis exemplo eſſe, & ex publicis Concionibus ea haurire debent, quæ ad inſtruendos cæteros maxime conferunt, dum in Eccleſijs conciones habentur, plateas, viaſq. otioſi diſcurrant; Clericis proinde omnibus, cuiuſuis Dignitatis illi fuerint, iubemus, ne Prædicationis tempore per Vrbem vagentur, ſed frequentes interſint ſub pœnis Arbitrio &c.

2. Ex Montill Synodo fol 34 tit. de Ieiunijs.

Vt quod Sanctiſs. Conſuetudinis eſt in pluribus Orbis Chriſtiani locis, in Diœceſi quoq. noſtra retineatur, dum Sacra Concio habetur, edicimus, & præſenti decreto inhibemus, ne vllæ tabernæ, ſiue apothecæ patentes vſquàm ſint, contra facientes arbitrio noſtro pæna punientur.

3. Ex p. Synodo Muti fol 9. tit. de Pradic. verbi Dei.

Qui ad Conciones, ſeu ſermones habendos in Ciuitatibus, & Diœceſi noſtris admiſſi fuerint, ne in Monialium Eccleſijs abſq. ſpeciali noſtro permiſſu prædicent.

4. Ex eadem Synod. Muti fol. x. eodem tit.

Ne ex eo quod ſtatis Anni temporibus Concionatores per Eccleſias deputentur, exiſtiment Parochi proprio ſe prædicandi onere ſolutos. Diebus itaq. Dominicis, & feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis docendo quæ Fidei Myſteria ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, & vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat.

De

De festorum, & Sacrorum Dierum celebratione, & Obseruantia. Cap. IV.

CVm in solemnibus Festiuitatibus soleamus in nostra Ecclesia Cathedrali Missas cantare, & Populo solemniter benedicere, mandàmus, vt quotiès à nobis huiusmodi Missæ cantari contigerint, totus Clerus Ciuitatis cum suis insignijs, & superpelliceis adesse debeat vsq. ad benedictionem sub pœna iuliorum quinq. pro quolibet.

1. Ex Synodo Buda. fol. 6.

Ne à Dominica Palmarum vsq. ad feriam tertiam post Pascha à Vigilia Natiuitatis Domini vsq. ad festum Sanctorum Innocentium inclusiuè quis audeat meretricum, & inhonestarum mulierum Domos ingredi, nec eas ad alienàs traducere, nec cum ipsis commercium habere carnale sub pænis arbitrarijs, etiàm corporis afflictiuis.

2. Ex p Synodo Marti fol. 25. tit de festorum obseru.

Kalendarium festorum ex Præcepto, Consuetudine vel Deuotione in Diæcesana Synodo. Cap. V.

Ex Præcepto

IN MENSE IANVARII.

1 Festum Circumcisionis Domini.
6 Epiphaniæ eiusdem.

FE-

FEBRVARII.

2 Purificationis B. M. Virginis.
23 Vigilia.
24 Matthiæ Apoſt. & Anno biſexſtili celebratur die 25

MARTII.

19 S. Ioſeph.
25 Annunciationis B. M. Virg.

APRILIS.

25 S. Marci.

MAII.

1 SS. Iacobi, & Philippi Apoſtolorum.
3 Inuentio S. Crucis.

IVNII.

23 Vigilia.
24 Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ.
28 Vigilia.
29 SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum.

IVLII.

24 Vigilia.
25 S. Iacobi Apoſtoli Patroni Eccleſiæ Tuſcanen.
26 S. Annæ.

AVGVSTI.

9 Vigilia.
10 S.Laurentij Martyris Patroni Ecclesiæ Viterbien.
14 Vigilia.
15 Assumptionis B. M. Virg.
24 Vigilia.
25 S. Bartholomæi Apostoli.

SEPTEMBRIS.

8 Natiuitatis B. Mariæ Virginis.
20 Vigilia.
21 S. Matthæi Apostoli.
29 Dedicationis S. Michaelis Archangeli.

OCTOBRIS.

4 S. Francisci.
27 Vigilia.
28 SS. Simonis, & Iudæ Apostolorum.
31 Vigilia.

NOVEMBRIS.

1 Omnium Sanctorum.
11 S. Martini Episcopi.
29 Vigilia.
30 S. Andreæ Apostoli.

DE-

DECEMBRIS.

20 Vigilia.
21 S. Thomæ Apostoli.
24 Vigilia.
25 Natiuitatis Domini.
26 S. Stephani.
27 S. Ioannis Euangelistæ.
28 SS. Innocentium.
31 S. Syluestri.

MOBILIVM.

Paschatis Resurrectionis cũ duobus sequẽtibus diebus.
Ascensionis Domini.
Pentecostes cum duobus sequentibus diebus.
Corporis Christi.

VITERBII.
Ex deuotione, & Consuetudine.

27 SS. Valentini, & Hilarij. Ex d. & c.

MAII.

8 Apparitionis S. Michaelis Archangeli. Ex d.

SEPTEMBRIS.

4 S. Rosæ. Ex d. & c.

AVGVSTI.

9 SS. Viriani, Secundiani, & Marcelliani Martyrum ex præcepto.

IEIVNIA.

Feria 4. 6. & sabbato post festa Inuentionis S. Crucis, & S. Luciæ Virginis. &c. m.

Post primam Dominicā Quadragesimæ, & infrà octuam Pentecostes.

A feria 4. Cinerum vsq; ad sabbatum Sanctum inclusiuè exceptis Dominicis diebus.

De Processionibus. Cap. VI.

QVibus in solenitate Corporis Christi vmbellā sub, quā sanctissimū Eucharistiæ Sacramētū defertur, hastas ex consuetudine substinendi munus incumbit; ij meminerint se non terreno, sed verò cælesti inseruire Principi, ideò non est profectò ferendum, tales ad hanc celebrem, solemnemq; functionem obeundam deligi, qui infimi ordinis homines, vita, & moribus non respondeant, & vilibus etiàm laceris, sordidisque vestibus, & nostros, & piorum fidelium intuentium oculos offendant, ac deuotionem impediant. 1. Synodo Montiss. fol. 44. eodem tit.

Processionem illam, quam ex voto Viterbienses ineunt, ad Beatæ Virginis de Quercu Templum, summoperè commendamus, vt frequentes adsint, memores beneficij maximi percepti. 2. Vide Synod. Mōtil. fol 50. tit. de Votis.

5\. Quando solemnes per Vrbem processiones habendæ sunt, ac viæ exornandæ, caueant, ne obscenæ, ne Ethnicorum aut eorum facta repræsentantes imagines in publicum prodeant.

Ex p. Synodo Mati fol. 15 tit. de Venerat. sanct.

De Sacramentorum Administratione in Genere, Cap. VII.

1\. IN Sacramentorum administratione mãdamus, quod omninò, & adamussim ritus Sacri seruentur, & Rubricæ iuxtà præscriptum Ritualis Romani iussu fel. Record. PP. Pauli V. editi, sub pœna suspensionis.

2\. Nemo in posterùm ad Sacrum Presbyteratus ordinem à nobis admittetur, licet aliàs idoneus, qui formam Absolutionis Sacramenti Pœnitentiæ, & formam Sacramenti Baptismi non ritè, rectèq. calleat ex eodem Rituali, insuper & Rubricas de defectibus Missæ in principio Missalis impressas.

3\. Quoniam indecens est Christianos Christianæ Fidei Rudimenta ignorare; ideò prohibemus laicos ad Sacramentum matrimonij admitti, vel ad leuandos à Sacro fonte infantes vel in Sacramento Confirmationis pueros, nisi prius partes principales Doctrinæ Christianæ memoria rectè retineant. Videlicet Orationes Dominicam, & Angelicam, Symbolum Fidei, Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, peccata capitalia, & Sacramenta, italico saltem sermone, nisi præ senio, aut ingenij tarditate incapaces omninò sint; quo casu curent saltem Parochi, vt eorum substantiam intelligant. Iidem talia vt supra ignorantes nec ad sacramenta Pænitentiæ, & Eucharistiæ admittantur.

De

De Baptismi Sacramento. Cap. VIII.

IN Baptismo, cum pueris nomina imponuntur, Sacerdos moneat fideles, vt Sanctorum nomina adsciscant, quæq. in Sancta Dei Ecclesia venerationem consecuta sunt. 1. *Ex Synodo Camb. fol. 10. eodem tit.*

Panniculos, quos deferunt pro veste candida, vel ad Pueros post lauacrum baptismi abstergendos compatres, vel obstetrix; non permittat Sacerdos baptizans, vt domum referant, sed illos relinquant ad sortilegia euitanda, & superstitiones, & in Sacristia ad illius vsum reponant: vnum autem, aut alterum in ciborio fontis baptismalis reponant, & in baptismo pauperum infantium vtantur. 2.

Fratres Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo in Ecclesia S. Ioannis Baptistæ Viterbij sub prætenso priuilegio Sedis Apostolicæ Baptismalem fontem habent, id pronunc tolerantes; mandamus nihilominus, quod non liceat vnicuiq. illorum Baptismum ministrare, sed ei tantùm, qui ab illorum Priore delectus, à Nobis, vel Vicario nostro Generali præuio, si videbitur, examine approbatus fuerit. 3. *Ex Synod. Montil. fol. 68. eodem tit.*

Ad obstetricis officium illæ tantùm admittendæ sunt, quæ vltra requisita pro munere suo exercendo, ea, quæ ad baptismi sacramentum pertinent, optimè didicerint. 4. *Ex p. Synodo Muti fol. 38. eodem tit.*

Expositi infantes, nisi constet aliunde, quàm ex Texera illorum collo appendi solita, esse baptizatos; sub Conditione rebaptizentur.

De Sacramento Confirmationis. Cap. IX.

1\. Ex Synodo Gamb. fol. 11. eodem tit.

MInores septennio ne confirmentur. Adultus autem nemo ad hoc Sacramẽtum accedere audeat, qui non sit ante confessus, aut saltèm contritus. Hoc præmoneant Parochi, cum scierint, nos ad conferendum tale Sacramentum accessuros.

2\. Ex prima Synodo Muti fol. 40. eod. tit.

Cum septennio minoribus fidei rudimenta non callentibus ex graui aliqua causa hoc conferendum rati fuerimus sacramentum, tunc meminerint parentes, & qui illorum curam gerunt, vt sæpè sæpiùs eos confirmationem iàm recepisse commoneant.

De Sacramento Pænitentiæ. Cap. X.

1\. Ex Synodo Gualt. fol 11 tit. de propos. Animarum Curæ. & Ex Synodo Gamb. fol. 50.

COnfessiones nemo audiat in Ecclesia, nisi superpelliceo indutus, & cum stola, quando adsit concursus aliquis: Assistant autèm in suis sedibus saltèm diebus, & horis infrascriptis. Videlicet singulis diebus sabbati, & omnibus Vigilijs post Vesperas, & in die Dominico, seu festo de Manè.

2\. Ex Synodo Gamb. fol. 18. eodem tit.

Sacerdotes ad hoc deputati, ne in priuatis ædibus confitentes audiant, nisi necessitas adsit, aut de nostra, vel Vicarij nostri licentia. Mulieres verò non infirmas in Ecclesia tantùm audiant, idq; post solis ortum, & & ante occasum, atq; in sedibus ad id constitutis.

3\. Ex eodem Synodo vbi suprà fol 63.

Nemo ex Confessoribus, quicunq; sit, etiàm regularis, pecuniarias iniungat pænitentias sibi, vel locis ad se attinentibus persoluendas; neq. iniungat pænitenti

pæni-

pænitentiam missarum à se, vel à suo Monasterio, aut Ecclesia celebrandarum.

Si quando contingat per literas attestari, aliquem iàm peccata sua fassum esse, & sacram Eucharistiam suscepisse; caueant Confessarij sub pæna Excommunicationis latæ sententiæ, illis attestationes huiusmodi concedere, qui verè confessi non fuerint, nec communicauerint. 4 *Ex prima Synodo Mutii fol. 64. eodem sic.*

Sciant Confessarij, quod nullo prorsus casu licet vti scientia rei in confessione habitæ, aliàs sigillum frangunt sacramentale. 5

In Ecclesijs Confraternitatum, & alijs, quæ non sunt Parochiales, prohibemus omninò confessione excipi, nisi eorundem tantùm confratrum, sub pæna suspensionis ipso facto ab audiendis Confessionibus contra eum, qui non paruerit. 6

Incertorum Restitutionem caueant Confessarij, ne absq; nostra scientia, & licentia faciant sub pæna suspensionis. 7

Casus Reseruati. Cap. XI.

1 Blasphemantes Deum, Beatam Virginem, vel Sanctos ex praua consuetudine.

2 Sortilegi, & Incantationes exercentes, vel sacris rebus abutentes.

3 Homicidium Voluntarium committentes, mandãtes, & opem præstantes, procurantes abortum pòst fætum animatum, effectu licet non secuto, & opprimentes proprios, vel alienos filios casu, vel industria.

4 Falsum testimonium in iudicio deponentes, ad idque inducentes.

5 In-

5 Incestuosi in primò, & secundo gradu consanguinitatis, affinitatis, cum commatribus se commiscentes, & cum filia spirituali ex sacramento pænitentiæ; (hæc quoad viros tantùm) & publici Concubinarij.

6 Sodomiam exercentes, ita vt masculi supra ætatem annorum quatuordecim tantùm compræhendantur; vel cum brutis coeuntes.

7 Alienantes bona pro liberis, & franchis, cum sint redditititia Ecclesijs, vel occultantes annuos redditus, & census Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum piorũ.

8 Cum Monialibus vel cum alijs fæminis in clausura degentibus turpiter colloquentes, aut tactus impudicos habentes, aut amatorias litteras scribentes. In omnibus his adest Excommunicatio latæ sententiæ.

9 Damnificantes studiosè bona Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum, vel illa quomodolibet vsurpantes.

Quoad sollecitantes in Confessione seruentur bulla Gregorij XV. eiusq; Declarationes.

De Sacramento Eucharistiæ. Cap. XII.

1. *Ex Synodo Gamb. fol. 12. eod. tit.*

CVm Sacerdos hoc Sacramentum ad Infirmum defert, superpelliceo, & stola vbique, in vrbe verò etiàm pluuiali vtatur.

2. *Ex Synodo Mont. fol. 83. eodem tit.*

Si pro deferendo Sanctissimo Sacramento ad infirmum extrà Vrbem ad loca, quæ vulgaritèr, Poderi, dicuntur, & per difficiles semitas, præruptasq. vias eundum erit; tunc Parochus superpelliceo, & stola dumtaxàt indutus, vnam tantùm particulam, vel tot, quot erunt communicandi infirmi, sumat; & sub vmbellà minori orbicularis formæ, vni tantùm hastili innixa, & ab vno post terga Sacerdotis delata, ipsius caput cum

pixide

pixide etiàm latè contegat, & cum duplici laterna accensa prodeat.

Si quem, Curatus vt suspectum, & criminosum habuerit, non præsumat illum admittere ad communionem, nisi ante cognouerit ipsum confessum, & absolutum fuisse schedula manu Confessarij signata, & ideò non expectet, vt post cæptam missam, vel Communionem hanc adhibeat diligentiam.

Pueris doli capacibus, & ad Sacramentum pœnitentiæ aptis, cum casus infirmitatis acciderit, ministrent 4. *August. Epist 93.*
omninò Parochi Sanctissimum Viaticum, & vt aliqua *ad Hilarium.*
generalis tradatur regula, communitèr ijs, qui decimū iàm compleuerint annum, hoc nòn videtur negandum salutare remedium.

De Sacramento Ordinis. *Cap. XIII.*

CAueat quisquam ante obtentam à Nobis licentiam, & tonsuram collatam, Clericorum indumenta gestare, aut pòst dimissa suscipere. 1. *Ex p. Synodo Muti fol. 70 eodem tit.*

Sufficiens beneficium, seu patrimonium illud declaramus, quod ad scutorum triginta annuum valorem saltèm accedit. 2. *Ex p. Synodo Muti fol 72. eod. tit*

Nemo ad áliquem ex Ordinibus admittatur, nisi testimoniales litteras collati immediatè præcedentis Ordinis, & in eo se ministrasse in Ecclesia, cui adscriptus est, documentum exhibuerit. 3. *Ex p Synodo Muti fol, 35. eodem tit.*

De Sacramento Matrimonij, Concubinatu, Meretricibus, & Lenonibus. Cap. XIIII.

1. *Ex Synodo Gamb. fol 23. eodem tit.*

SI quando iusta causa Parochi cogentur alijs Sacerdotibus vices suas delegare, delegatio scripto appareat, scriptumq. seruetur, & nihilominùs Parochus delegans nomen sponsorum, & testium describat in suo libro.

2. *Ex prima Synodo Mant. fol. 80. eodem tit.*

Publicationes pro Matrimonio contrahendo audientes, siue ipsarum notitiam habentes, cum aliquid obstare sciuerint, vel audierint, quod matrimonium dirimere, seu impedire possit; quàm primùm sub Excommunicationis latæ sententiæ pœna Nobis, vel Parocho extra confessionem reuelare non morentur; eadem pœna vltra alias à iure contrà falsarios inflictas, eos innodamus, qui falsa impedimenta confingentes, matrimonia impedire studuerint.

3. *Ex prima Synodo Mant. fol. 80 eodem tit.*

Quando Coniuges in diuersis habitant Parochijs, sponsæ Parochus habita à viri Parocho attestatione scripta, quod solitæ denunciationes factæ fuerint, & nullum sit detectum obstaculum, matrimonio assistat, & eidē sponsæ Parocho nuptias benedicendi potestas sit.

4. *Vbi supra eod. tit.*

Fidei rudimenta ignorantes à contrahendo matrimonio reijciantur, & ob id Parochus prius illos interroget.

5. *Ibidem fol. 83.*

Detestabilem nōnullorum locorum nostræ Diœcesis abusum, vt sponsi de futuro, ante Sacerdotalem benedictionem, & ante contractum in facie Ecclesiæ matrimonium carnalitèr se cognoscunt, eliminari cupientes, grauissimis pœnis pecuniarijs, & alijs publicis

repri-

reprimatur, vt ſcilicet pro foribus Eccleſiæ accenſam manibus candelam, donec miſſarum agantur ſolemnia, detineant, & id genus alijs: Vltra pænas ſcutorum quinquaginta monetæ.

Prohibemus, ne proſtitutæ fæminæ, meretriceſq; in cauponijs, aut diuerſorijs quæſtus cauſa, aut quomodolibet alantur, vel retineantur, niſi itineris gratia ſolùm; contra facientes caupones grauiſſimis afficientur pænis noſtro arbitrio, vltra pænam ſcutorum viginti quinque. 5.

Ex Synodo Mönt. fol. 129. tit. de Meretric.

Decet non ſolùm vt propè Eccleſias, quæ Domus Dei viuentis ſunt, meretrices non habitent, & commorentur, ſed etiam quod vt ad ſacra templa concurſus honeſtarum non maculetur mulierum, & impediantur viæ, per quas incedere neceſſe eſt, quantum fieri poterit mundæ, & immunes ab huiuſmodi teneantur contaminatione. Ideò mandamus, quod in futurum in via illa Ciuitatis, quæ à Sancti Ioannis Baptiſtæ templo ad noſtram ducit Cathedralem, non habitent publicæ Meretrices ſub pæna fuſtigationis, & exilij, & inſupèr prohibemus Dominis domorum, quatenùs ſub pæna ſcutorom decem piis vſibus &c. & in ſubſidium Excommunicationis, domus prædictas huiuſmodi non locent mulieribus. 6.

Ex prima Synodo Munti fol. 88.

Laicos Concubinarios ſolutos, ſiue vxoratos cuiuſcunq. ſtatus, & dignitatis ſint, ſi infrà dies quindecim, quorum quinq; pro primo, quinq. pro ſecundo, & quinq. pro vltimo, & peremptorio termino aſſignamus, concubinas non eiecerint, aut conſuetudinem non omiſerint, & qui in poſterùm in concubinatu per ſex menſes perſeuerauerint, excommunicatos, & infames declaramus; in ſuper de libro Confratrum, ſi in aliqua ſocietate fuerint adſcripti, caſſamus, & indi- 7.

Ex prima Synodo eiuſdem fol. 80. de concub.

D gnos

gnos priuilegijs, & exemptionibus ipsius pronunciamus; in compatres, seu commatres admitti non debere sancimus, & si vis in aliqua Ecclesia, seu cappella habuerint præsentandi, neq. eorum præsentationes in casu vacationis recipi debere decernimus.

8. *Ibidem fol. 8.* Ne aliquibus sub Matrimonij intuitu peccandi libera concessa videatur facultas, animaduertant Parochi, ne exteris in suis Parochijs moram ducétibus tamquam viro, & vxori insimùl habitare permittant, nisi verè coniuges esse Ordinarij sui attestatione docuerint.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.
Cap. XV.

1. CVm sanitas corporalis sit etiam vnus ex Sacramêti extremæ Vnctionis effectibus, ideò mandamus parentibus, & ad quos spectat, vt hoc Sacramentum Infirmis conferri procurent ante quam corpus sit naturalibus viribus destitutum, vt Sacramenti virtus, quæ operatur non miraculo, sed supernaturali, ordineria tamen virtute, suum possit consequi effectum; nec expectandum est, quod infirmus sensu, & cognitione careat. cum sit contra reuerentiam, & vtilitatem huius sacramenti. Id etiam curent Parochi.

2. Volumus quod pueris Sacramenti pænitentiæ capacibus omninò à Parochis extrema vnctio detur ex magis pia Doctorum Opinione.

De

De Missarum Celebratione, & Officio Sacristæ. *Cap. XVII.*

TAm in Cathedrali nostra Ecclesia, quàm in Ecclesijs S. Xysti, S. Angeli, & SS. Faustini, & Iouitæ pro Populi commoditate statuimus primam missam celebrari debere in Aurora. 1. *Ex Synodo Gualt. fol. 11 tit. de seruit. Eccles.*

Ante missæ celebrationẽ Sacerdos omninò matutinũ dicere teneatur, & si vrgenti necessitate impeditus non fuerit, hortamur, vt etiàm primam saltẽ dicat, deinde missam perlegat, & singulas eius partes commodè distinguat. 2. *Ex Synodo Gamb. fol. 4. .tt de celebr miss.*

Vbi sacris vestibus fuerit indutus, cum nemine colloquatur, sed secum ipse tacitus contempletur, quanta sit huius tremendi sacrificij altitudo, seq; ad illud sanctè, pièq. peragendum præparet. 3. *Ex eadem ibidem.*

Vestes autem quibus induitur, itèm vasa, & sacra instrumenta omnia, corporalia in primis, & purificatoria munda sint, & pura: eaq. ratione iubemus, vt vinum album huic sacrificio adhibeatur. Sacristæ, si contra fecerit, poenam quinq. iuliorum infligimus. 4. *Ex eadem fol. 15. eod. tit.*

Parochi neq; cuiusquam metu, aut gratia, missam anticipent aut differant, sed hora Populo commoda, ac decenti celebrent, ijdemq. Populum frequentèr hortentur, vt festis diebus in sua Parochia Missam audiant. 5. *Ex eadem fol. 16 eod. tit.*

In Oratorijs laicorum, & confraternitatum missas celebrari nolumus, nisi postquam in eorum Parochiali Ecclesia celebrari desitum fuerit. 6. *Ex eadem ibidem fol. 17. eod tit.*

Munus sacristæ erit, vasa, vestimenta, ornamenta 7. *Ex Synod Gab fol. 34. de offic. Sacrist.*

omnia diligentèr custodire, & eorum nitori, & munditiæ consulere. Curam habeat luminum, ceræ, & olei; præparet omnia ad sacrificium Missæ, & alia ad diuina officia necessaria. Altaria ornet, vt missarum oneribus satisfiat ab ijs, qui debent, & singulis hebdomadibus renouet aquam benedictam, Ecclesiamq; quantum opus fuerit, scopis mundari faciat. Extraneos Sacerdotes ne sine litteris dimissorijs, aut licentia nostri Vicarij ad celebrandam missam admittat.

8. Sacræ suppellectilis Inuentarium integrum habeat, eius scilicet, quæ sibi tradita fuerit a Maiori Sacrista, & sua manu subscribat. Idem conficiat Sacrista maior sub pæna suspésionis, vt successori in munere scripto etiàm eandem suppellectilem consignare possit.

9. *Ex Synodo Montil fòl 94 tit. de sacrif missæ.*

Dum nos missæ sacrum siue solemne, siue priuatum facimus, inhibemus ne ab alio Sacerdote celebretur sub pæna iuliorum sex.

10. *Ex Synodo Mont. fol 96. eod. tit.*

Qui stata, & præscripta die cantare missam tenetur, si vel morbo, vel alia causa impeditus, atque detentus fuerit, alium sui Ordinis Sacerdotem in sui locum substituat, & Sacristam admoneat, quem qui non admonuerit, vel celebrandi muneri defuerit, diebus quidem ferialibus decima aurei parte; festis verò duplicibus duplo mulctabitur, quæ pænæ à Camerario exigantur, & pro temporis opportunitate in tot missis in ea Ecclesia celebrandis pro elemosinis alijs Sacerdotibus erogetur.

11. *Ex Synodo Montil. fol 98. eod.*

Si quis assistentium ministrorum, vel Diaconus, vel subdiaconus, cui id oneris sit, in solemni Missæ sacrificio defuerit, eadem pæna mulctetur, eaq; detur alteri, qui Chori Præfecti iussu (cui omnes obtemperabunt) eius vices subierit.

12. *Ex Synodo Montil, fol 68. eod. tit.*

Magistratus, & Ciuitatum Rectores hortamur in Do-

Domino vt muneris proprij, & oneris, quod subſtinent, memores, omnibus quidem Dominicis, feſtiſq. diebus, & ſolemnibus, maximè, & præſertim cum nos ipſi vel celebramus, vel miſſæ ſolemni interſumus, Cathedralem Eccleſiam aliarum Eccleſiarum matrem, vt par eſt, frequentent, religioſoq. exemplo cæteros excitent, atq. impellant.

13. Sacerdos miſſam facturus non ſolum amictum, albam, cingulum, manipulum, orarium, ſeu ſtolam, & caſulam, ſeu planetam ſuperinduat, ſed veſtem etiàm ſuttanam geſtet talerem, ſub pæna iuliorum quinque quoad veſtem. *Ex pr. Sinodo Mileti fol. 53. de ſacrific. miſſæ.*

14. Qui in libro, in quo notantur miſſæ, falsò ſcripſerit ſe celebraſſe, ſuſpenſionem à diuinis ipſo facto incurrat. *Ex Synodo 2. Mileti fol. 82. tit. Sacr.*

15. Qui diu celebrationem miſſarum, ad quas quouis modo tenetur, differt, ſciat ſe mortalitèr peccare, & ideò nemo vltra menſem illas differat.

16. Sacerdos, qui non celebrat in altari, in quo eſt obligatus, animaduertat, ſe lethalitèr peccare, ſi id abſq. legitima diſpenſatione perfecerit, & ideò omninò abſtineat, mandamus.

17. Sacerdotes, qui miſſarum onus ad determinatam diem in Cathedrali non habent, illas celebrent congruum eſt Dominicis diebus, vt frequentiori populo miſſæ non deſint.

De

De Horis Canonicis, Choro, & Punctationibus. Cap. XVIIII.

1\. *Ex Synodo Gamb. fol. 26. eodem tit.*

IN Ecclesia Cathedrali, & alijs Collegiatis qualibet sexta feria paulò ante nonam detur signum sono cãpanæ ad recolendam memoriam passionis D. N. Iesu Christi, & qui tunc orationem Dominicam tèr, & toties salutationem Angelicam recitauerint, Indulgentiam centum dierum, quam elargimur, quoties id fecerint, consequentur.

2\. *Ex Synodo Gamb. fol. 32. tit. de minist. Eccl. 5.*

Quo tempore diuina officia in Choro fiunt, parua missa ne celebretur per Canonicos, aut alios, qui in Choro deseruire tenentur sub pæna iuliorum quinque, nisi necessitas postulet, & licentiam impetrarit ab eo, qui Choro preest, cuius conscientiam in hoc oneramus.

3\. *Ex Synodo Mont. fol. 139. eodem tit.*

In omnibus Ecclesijs Ciuitatis Viterbij volumus post Matutinum, & Vesperas in Commemorationibus propriam fieri S. Laurentij vt Patroni Cathedralis nostræ Ecclesiæ Viterbiensis; in Ciuitate verò Tuscanellæ B. Iacobi Apostoli.

4\. *Ex 2. Synodo Muti fol. 22. tit. de Diuin. offic.*

Obtinentes in Cathedralibus, vel Collegiatis nostrarum Ciuitatum, & Diœcesis Ecclesijs, Dignitates, Canonicatus, aut alia beneficia, quorum ratione Missas, Euangelium, aut Epistolam cantare tenentur, vel dicere, talia munera per se ipsos obeant: alioquin quoad Cathedrales iuliorum sex, quoad cæteras Ecclesias iuliorum trium pænam incurrant, illi persoluendam qualibet vice, qui præscripta munera impleuerit, omni collusione, aut remissione exclusa.

5\. Ad Præfectum Chori pertinet inuigilare, & curare,

vt in diuinis officijs vnusquisq; suo respondeat muneri, vt silentium religiosè obseruetur, vt nemo gestum, aut motus incompositos faciat, aut libros, litterasue legat. vel dum alij canunt, quis priuatìm recitet horas, non permittet præproperam psalmodiam, vocum dissonantiam, incumbetq. vt omnia deuotè, reuerentèr, & cum decore fiant; prius benignè admonebit, & si res punctatione digna fuerit, mandet punctari.

Dum in Choro sunt, animaduertant, quod qui notabili tēporis spatio confabulantur, mortalitèr peccant ex communi Doctorum sententia, cum neq. internam, neq. externam intentionem habeant ad quod dicunt, sed potius psalmis, & hymnis cum orant Deum, vt ait Aug.[a] hoc versetur in corde, quod profertur in voce. 6.

[a] Epist. 109.

Cum in nostra Cathedrali S. Laurentij ex Pontificia dispensatione donec ædes Canonicales perfectæ fuerint, Matutinæ preces diei sequentis post Vesperas recitentur, mandauimus in calce harum Synodalium constitutionum tabellam imprimi extensam ex qua apparebit, qua hora quolibet mense incipi poterunt. 7.

Canonici dum in Choro sunt, venienti Canonico assurgant. 8.

De Funeribus, & Exequijs Anniuersarijs. Cap. XIX.

PArochi miserabiles personas, quæ impensis suis sepeliri non possint, gratis sepeliant. 1. *Ex Synodo Camb. fol. 25. eod. tit.*

Mortui ne sepeliantur, nisi duodecim horarum spatio elapso postquam expirauerint. 2. *Ex eodem ibidem.*

Caueant Parochi, ne sub hoc prætextu funeralium, mor- 3. *Ex eod ibid. fol. 36.*

mortuos ſepelire differant, quia poſtquam officium ſuum impleuerint, breui manu, quod iuſtum erit, conſequentur.

4. *Ex eodem ibidem, vbi ſupra.* Volumus auté teneri omnes Parochos etiàm Collegiatarum Eccleſiarum ſepelire infantes biennium non excedentes ea pompa, & impenſa, qua eorum parentes voluerint.

5. *Ex eodem ibidem, & vbi ſupra,* Cum aliquis Canonicus moritur, volumus expenſis Capituli, vbi ipſe erat Canonicus, ſepeliri, & pro eius anima die poſtero, niſi ex rubricæ præſcripto impediatur, officium mortuorum ſolemnitèr celebrari.

6. *Ex p Synodo Muti fol. 148. eodem tit.* Interfectorum, ſeu alia violenta morte necatorum cadauera non anteà Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradantur, aut in Eccleſiam inferantur, quàm compertum Parocho fuerit noſtros, vel laicalis magiſtratus miniſtros corporis vulnera, vel alia indicia inſpexiſſe, niſi alitèr ob miniſtrorum moroſitatem facti contingentia ſuaſerit, tumulato autèm cadauere huiuſmodi inſpectiones ſine ſpeciali noſtra licentia fieri prohibemus.

7. *Ex eodem ibidem, & vbi ſupra.* Sine præſentia, & aſſiſtentia proprij Parochi, & ante Auroram, & poſt ſerotina crepuſcula ſine licentia noſtra, ne celebrentur exequiæ.

8. Defuncto Sacerdote ſinguli Sacerdotes Ciuitatum, vel locorum noſtræ Diœceſis, in quo mori contigerit, teneantur pro illius anima ſacrificium offerre.

9. In cadauerum aſſociatione Confraternitates, quas vocari contigerit, nullatenus cum Crucem deferunt, vltra duo intortitia, vel faces habere poſſint; ſi Crucem non deferant, neque duas habeant faces. Circa autèm candelarum, aut cæræ diſtributionem obſeruetur decretum in prima Synodo à b. m. Cardinali Muto promul-

mulgatum. Addimus tantum, quod tota cera, quæ in domo defuncti reperitur, simùl, in vnum redacta in Sacristia posteà Ecclesiæ, in qua corpus est tumulatum, à Parocho auditis Societatis officialibus, & præpositis tantùm, diuidatur absq. tumultu, & vociferationibus. Vocati autèm confratres ad funera, nequeant sub pæna interdicti per mensem ab Ecclesia absq. Parochi licentia ingredi domum defuncti, neq. nisi sub eorum Cruce, & cum saccis Societatis tàm in accessu, quàm in recessu veniant, redeantque.

Vt commodius Capitula Collegiatarum Ecclesiarum, quæ pro celebrandis Anniuersarijs statis diebus in Cathedralem conuenire debent, accedere valeant, antequàm incohentur, duo dentur signa campana maiori, alterum circa eleuationem, alterum post dimidium horæ à primo. 10.

Confratres Societatis mortis defunctorum corpora è Ciuitate nequeant omninò efferre, nisi vocato Parocho; è Villis autem, & suburbijs cadauera ad propinquiorem Ecclesiam semper deducant, aliàs curati in eorum Ecclesijs illa recipere non teneantur. 11.

De Vita, & Honestate Clericorum.
Cap. XX.

QVoniam Dei seruus, vt dicit Apostolus, [a] litigiosus esse non debet, ideò hortamur omnes in Domino, vt se à litibus abstineant; si qua verò controuersia oriatur, Prohibemus vt in alio, quàm in nostro foro etiàm contra laicos non litigent sub pæna scutorum decem.

a. Epist. prima ad Timotheum.

1.

Ex Synodo Gualt. fol. 17. tit. eod.

1. *Ex Synodo Gamb. fol. 30. eodem tit.*

Clericus ne in profanis negocijs se exerceat, ne laicorum procurator sit, fœminas ne comitetur, earumq; assecla sit.

2. *Ex Synodo Muti fol 93. eodem tit.*

Pro alijs ne Clerici fideiubeant, aut premittant sine nostra, vel Vicarij generalis scripta licentia, nec extra curiam nostram, nec in nostra, bona sua obligent, aut personam; secùs factæ obligationes nullum prorsus robur obtineant, aut ius tribuant.

4. Qui laruatus incesserit, etiam si de nocte, quiue choreas miscuerit, vel duxerit, ipso facto excommunicatus existat, & pænas scutorum vigintiquinque subeat.

5. *Ex p Synodo Muti fol. 97. eod. tit.*

Absint à Clericis, & eorum domibus temporalia arma, & si quis cum vetitis armis deliquerit, vltrà pænas criminis subiaceat etiàm illi, quæ in eos, qui arma gestarint, solita est exerceri, quamuis in fragranti delicto non fuerit comprehensus.

6. *Ex prima Synodo Muti fol 127 tit. de Capit Cathed. & Colleg.*

Munera singulis Capituli auctoritate iniuncta ne recusent sed demandatum neruis omnibus, omnique conatu officium adimpleant sub pæna scutorum quinque, & alijs arbitrio.

7. Ad Digniorem in Capitulo Capitulum conuocare pertinet, quandocunque sibi expedire videbitur pro seruitio Ecclesiæ, diebus tamen solitis, & ad hoc destinatis; neque debet omittere, aut impedire, quando per Camerarium, aut per Canonicos instatur, vt conuocetur, vt Sacra Episcoporum Congregatio decreuit sexta Octobris 1617.

De Ca-

De Casuum Congregationibus, & Collationibus. Cap. XXI.

CLerici quicunque cuiusuis dignitatis fuerint, ipsi quoque Canonici, & maximè omnium curam animarum administrantes, huic piæ collationi ea, qua decet, attentione, atque frequentia interesse studeant. 1. *Ex Synodo Montil. fol. 18. tit. de praeben Theol.*

De Parochis, & Animarum Curatoribus. Cap. XXII.

DE Parochiæ suæ moribus Parochi diligentèr inquirant quos autem blasphemos inuenerint, aut adulteros, aut alijs flagitijs irretitos, veluti fæneratores, & qui inimicitias, & odia fouerint, eorum nomina ad nos deferant, neque interim desistant pro viribus eniti, vt eos in rectam viam deducant. 1. *Ex Synodo Camb. fol 37. eod. tit.*

Idem ad nos deferant nomina verè pauperum suæ Parochiæ, ac Viduarum, quæ vere viduæ sunt, vt in subleuanda earum necessitate nostris partibus fungi valeamus. 2. *Ex eadem ibidem.*

Ad Ægrotos accedant, etiam si vocati non sint, eosq. ad Sacramentorum susceptionem hortentur, & eorum animabus sollicite prouidere studeant. 3. *Ibidem vbi suprà.*

Singulis diebus festis pueros suæ Parochiæ ad Ecclesiam certa hora conuocent, quibus fidei rudimenta tradant ex libello Doctrinæ Christianæ nuncupato. 4. *Ibidem fol. 38.*

Parochi per se ipsos curam exerceant, nec eis liceat sibi Cappellanos assumere, nisi de nostra licentia, 5. *Ibidem fol. eodem.*

& à Nobis, aut Vicario nostro approbandos.

6. Ex Synodo Montil. fol. 59. tit. de Sacr. Si quando contingat, vt è Parochis quispiam ad aliã Ecclesiam transferatur, ei præcipimus sub Excommunicationis pæna, & alijs arbitrio, vt antequam ad eam transeat, Parochiales libros ex præscripto Romani Ritualis confectos omnes successori suo tradat. Idem sub eadem pæna Excommunicationis fieri mandamus à defuncti Parochi hæredibus, qui ad nostram Cancellariam transmittant, vt successoribus tradantur.

7. Ex Synod. Montil. fol. 156. tit. eod. Moneant suæ curæ subiectos, vt caueant diligentèr, ne pastores armentarij, bubulci, & reliqui omnes iumentorùm pecudum, syluarum, ac vinearum custodes, missas diebus festis audire omittant, & sæpè in anno, saltèm semèl, peccata sua confiteantur, & sacram Communionem in Paschate sumant.

8. Ex p. Synodo Mu- fol. 68. tit. de extr. vnct. Quando infirmus non solùm ægritudine, sed paupertate oppressus fuerit, ad Parochum pertinet collectam inter comparochianos, seu alios pios, & liberales viros ad paupertatem hanc subleuandam facere, & si neq. hac ratione necessitatibus consultum fuerit, nos admoneat.

9. Ex 2. Synodo Muti fol. 26. tit. de Par. Nullus eorùm venientium ad Ciuitatem Viterbij (exceptis Curatis Balneariæ non pernoctaturis) Nos, vel Vicarium nostrum generalem adire omittat.

10. Sciant Parochi, quod non dicuntur residere, iuxta sacrorum Canonum, & Sacri Concilij Tridentini præscriptum, nisi personaliter residendo administrauerint insuper Sacramenta per se, & ea, ad quæ ex cura tenentur, & sic mortalitèr peccare, & ad restitutionem fructuum teneri secùs facientes, nisi legitime dispensati fuerint, vt per alium exercere valeant.

De

De Laicorum peculiaribus Vitijs coercendis. *Cap. XXIII.*

PLebs Viterbien; quod dolentes referimus, nimis vino indulgens, iurgia sæpè permiſcet, & carnalibus dedita eſt vitijs, cum luxurioſa res vinum ſit, & tumultuoſa ebrietas: [a] Hinc etiàm ſequitur, quod in feſtis etiàm ſolemnioribus diebus Eccleſiarum magna eſt ſolitudo, quamobrem inhærendo alijs conſtitutionibus à noſtris Prædeceſſoribus emanatis mãdamus, quod inpoſterùm nemo audeat in diebus feſtiuis de præcepto, in tabernis, quæ vulgò dicuntur, bettole, vel locis, in quibus vinum venditur, illud emere, aut ibidem comedere, aut bibere toto temporis ſpatio, donec miſſa ſolemnis in Cathedrali in mane, & in horis poſt meridianis veſperæ in eadem non fuerint abſolutæ, ac terminatæ ſub pæna tàm ementibus, quàm vedentibus, comedentibus, & bibentibus ſcutorum trium pro qualibet vice irremiſſibiliter ſoluenda. Curatis etiàm iniungimus, vt omni via iſtos eradicare conentur abuſus, nõ aſperè, non duritèr, vt ait Auguſtinus; [b] magis docendo, quàm iubendo, magis monendo, quàm minando. 1.

a *Prouerb. c.20.*

b *Ep.64.ad Aurel.*

De Eccleſijs, & Earum Partibus, & Cultu, & ædibus Canonicalibus. *Cap. XXIV.*

CAnonici ædes ſuas Canonicales laicis ne locent, commódentue ſub pæna ſcutorum decem; hoc autem 2.

Ex Synodo Mdiol. fol 153. tit. de Eccleſ. miniſt.

Beneficiati omnes saltem intra mensem inuentarium omnium bonorum mobilium, & stabilium Ecclesiæ, vel Cappellæ, cuius beneficium nacti fuerint, conficiant, nobis, vel Vicario nostro præsentandum, & in nostra Cancellaria conseruandum, vel in Archiuio Cathedralis sub pæna scutorum sex. 2. *Ex Synodo Camb. fol. 40. tit. de cura quorumq. Cleric.*

Maximè prouidendum est, ne Ecclesiarum, piorumque locorum bona, ac iura à quoquam occupentur, vsurpenturue, aut Ecclesiastici, eorumque Administratores impediantur, quo minus illorum fructus percipiant. Itaque Parochis omnibus præcipimus sub pæna suspensionis, quatenus die infra ponendo sacri Concilij Tridentini Decretum, quod est sess. 22. cap. XI. contra vsurpantes bona, & iura Ecclesiastica editum in vulgarem linguam translatum, & nostro iussu impressum, in Dominica prima Aduentus, & in Dominica Passionis in Parochiali Ecclesia inter missarum solemnia publicè coràm frequenti populo euulgent. 3. *Ex Synod. Montil. fol. 189. eodem tit.*

Res Ecclesiasticæ. & piorum locorum nullatenus alienẽtur ex sacrorũ Canonum præscripto: Alienationis autem vocabulo in hoc casu intelligitur, donatio, venditio, permutatio, emphiteusis hipotheca, locatio vltra trienniuum, & quid simile; Bonorum autem appellatione veniunt stabilia, arbores fructiferæ, & pretiosa mobilia, & se se mouentia; Piorum autem locorum nomine Confraternitates etiàm veniunt Episcopi auctoritate erectæ. 4. *Ex prima Synodo Musi fol. 115 tit. de Inuent.*

Notarij, & alij vltimarum susceptores voluntatum sub pæna Excommunicationis notificare teneantur infrà duos menses à die publicati testamenti pia relicta, & legata ad pias causas, nobis, vel nostræ Curiæ. 5. *Ex p. Synod. Musi fol. 116. ibidem.*

Hæres Clerici beneficiati defuncti apocas, & instrumenta 6. *Ex 2. Synodo Musi fol. 21. eod. tit. de Inuent.*

menta ad eadem beneficia spectantia, si quæ habent, successoribus in beneficijs consignare teneantur sub pæna Excommunicationis.

De locis Pijs, Hospitalibus, Confraternitatibus, & Monte Pietatis. Cap. XXVI.

1
Ex Synodo Mõtil. fol. 166. eod. tit.

NOuerint Sodalitatum, aliorumque piorum locorũ quorumcunque administratores, & Curatores sibi nullo modo licere bona mobilia, vel immobilia suæ Confraternitatis aut confratribus suis, aut propinquis, aut alijs quacunque sibi ratione coniunctis, vendere, in emphiteusim dare, aut etiàm ad breue tempus locare, alias irritum, & inane præsenti decreto declaramus quicquid ab illis factum, tentatumue fuerit, contrauenientes verò graui pæna mulctabimus; eo autem in loco, vbi Congregationes administratorum fiunt, sit affixa tabella omnium locationum, Emphiteusum, legatorum, aliorumq. reddituum, & fructuum, qui certis anni temporibus exigi, onera etiam, quæ persolui solent, ac debent. Sed & librum peculiare habeant, in quo etiam loco, die, mense, anno descriptis omnia, & singula notentur, quæ in cõsultationem venient, quæ maiori suffragiorum numero probabuntur, quæq. etiàm reijcientur; qua in re mandamus sub pæna interdicti ab Ecclesia, & priuationis officiorum, vt maiora, grauioraq. negotia secretis tantum suffragijs, votisq. occultis deliberentur.

2.
Ex 2 Synodo Mu-ti fol. 18. tit. de Poenit.

Montium Pietatis Administratores, conuertentes sine licentia Sedis Apostolicæ ipsorum montium pæcunias in alios vsus, Excommunicationis latæ sententiæ

pænam

pænam Romano Pontifici reſeruatæ incurrunt, vti ex conſtitutione fel. mem. Pauli V. eandenq; pænam, nobis tamen reſeruatam incurrant, qui bona in custodia eorumdem Montium exiſtentia auferunt, vel ea in deterius permutant.

In domibus Confraternitatum, aliorumq; piorum locorum etiam Emphiteoticis apponatur aliquod ſignũ ſupra ianuam, quo dominium denoterur. 3. Ex 1 Sinodo Montisfal. 9 eodem tit.

Pueri ante decimum quintum annum absq; noſtra licentia, in confratres ne recipiantur. 4. Ex eodem ibidem.

Confraternitatum munera, et officia vltra annum ne protrahantur, neq; officialis poſſit confirmari pro ſecũdo anno, niſi de licentia noſtra, & ob validas rationes, ſed tranſacto anno rationem reddat adminiſtrationis noſtro deputato; Electiones autem officialium maxime gauderemus ſi coram Vicario in Ciuitatibus Viterbij & Tuſcanellæ, in diœceſi coram Archipresbitero celebrarentur. 5.

De Regularibus, & Exemptis.
Cap. XXVII.

Regulares ſi ægrotorum Confeſſiones exceperint, ſtatim ſub pæna ſuſpenſionis à Cõfeſſionibus audiendis, eius parochum de audita confeſſione certũ reddant. 1.

In eorum Eccleſiis non admittant ad celebrandum exterum quempiam Sacerdotem ſine dimiſſorijs ſui Ordinarij. 2.

De Monialibus. Cap. XXVIII.

1\. *Ex Synodo Menil. fol. 106. eod. tit.*

NVlli inposterùm Clerico, siue Sæculari, siue Regulari cuiuscunq. Ordinis, aut laico cuiusuis status, dignitatis, gradus, & conditionis ad monasteria, etiàm Regularibus subiecta accedere,& cum Monialib. aliqua, siue ad rotam, siue ad portam, vel gratam colloqui liceat, nisi anteà colloquēdi facultatem scriptam, quæ gratis concedetur, à Nobis, vel Vicario nostro impetrarit, & Monasterij Præfectis ostenderit; qui secus fecerint,grauitèr à nobis punientur tàm colloquentes, quàm Præfectæ monasteriorum; Excipimus autem ab hoc decreto Patres, & fratres, & alios in primo, & secundo gradu coniunctos; dummodò sit in communi collocutorio, & non in ianua, & non sit in Aduentu, vel Quadragesima, & dum celebrantur diuina officia, & in feria sexta.

Ex p Synodo Muti fol. 158. eodem tit.

2\. *Ibidem fol. 186.*

Sub pæna priuationis officij mandamus Monasteriorum Præfectis, alijs verò Monialibus Veli per annum integrum, ne depositi, aut custodiæ causa intra septa Monasterij, pecunias, gemmas, vestes, arcas, aut alia eius generis cuiuscūque personæ introferri à quoquam permittant, aut quouis modo ipsæ recipiant.

3\. Dum Cōcio à nobis permissa in Ecclesijs Monialium habetur, ianuæ clausæ teneantur, remanere tamen poterunt in eis deputati, & procuratores Monasterij; quo casu si Regularis est concionator, sciat, ei cum Monialibus loqui non licere; vt Sacra Congregatio decreuit.

4\. Frequentantes Monialium Monasteria absque legitima causa ob scandalum, quod semper oritur, sciant quod peccant mortalitèr, ad quod euitandum, id prohibe-

hibemus sub pœna carcerationis.

Animaduertant Confessarij Monialium, præcipuè extraordinarij, quod persæpè coguntur Prælati rationabiles ob circumstantias, rem alias leuem sub peccato mortali prohibere, vel præcipere; cumque confessarij ipsi causas plerunque ignorent, quas superiores sciunt, non debere prurientes auribus Monialium, contrariam sequi sententiam, & illas in foro interiori irrationabilitèr consolari cum pro superioribus sit præsumendum. 5.

Nolumus quod Moniales tempore Iubilei possint sibi eligere confessarium, nisi approbatum ad Monialium confessiones excipiendas, quando contrarium expressè quoad hanc circumstantiam non fuerit in Bulla Iubilei indultum. 6.

Puellas, quæ educationis causa in Monasterijs degūt, prohibemus omninò vestes sericas deferre, sed tantum laneas, sub pœna eiectionis à Monasterio, & alijs arbitrio; & in hoc animaduertant Confessarij. 7.

Moniales in festis solemnioribus suarum Ecclesiarum plusquam viginti missas ne quærant, neque Confessarij sub pœna suspensionis plures celebrari permittant, & à Sacerdotibus tantùm, quibus à Nobis, vel Vicario nostro Generali indultum fuerit, quod possint in Ecclesijs Monialium celebrare: Monialis, quæ contra fecerit, pœna priuationis per sex mēses collocutorij mulctetur; Nulla autem è Monialibus ex peculiari deuotione festiuitatem in Ecclesia celebrare faciat absque nostra, vel Vicarij generalis licentia, qui numerum missarum taxabit. 8.

In Ecclesijs Monialium Anniuersaria celebrari prohibemus præter ea, quæ pro benefactoribus descripta, iàm in tabellis reperiuntur, & in obitu Monialium. 9.

10. Constitutionem, qua auscultatrices iubentur in collocutorijs semper assistere Monialibus colloquentibus, non exactè obseruari graui animi nostri molestia audiuimus; qua propter illam renouantes, mandamus prædictis auscultatricibus, quatenus sub pæna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, & veli per annum, sempèr, & quibuscunque assistant, & officium suum adimpleant, ita vt commodè audire possint, quid colloquantur: exceptis tamen coniunctis in primo gradu colloquẽtibus.

11. Præfectæ Monialium, vt constitutiones rectius obseruentur, si quando in eas Moniales deliquerit, volumus sub præcepto graui obedientiæ, & mandamus, quod deputatis id aperiant, vt ad Nos deferant.

12. Vt abundantiùs, & cumulatiùs Monialium animabus suffragetur in morte, cum Monasteria ex communi ære nequeant plerumq; supplere; iubemus, quod de pecunia earum, quæ in arca cõmuni quæ tamen non excedat scuta decem monetæ, reperitur tempore mortis monialis, mediatas pro Missis celebrandis in suffragiũ illius animæ erogetur, reliquum verò in vtilitatem conuertatur monasterij Missæ autem dispensentur consilio Confessarij, vel deputati.

13. Nouitiæ ante professionem omninò in Nouitiatu permaneant, neq; à quapiam Monialium illius cura, & regimen suscipiatur, sed tantũ sub earum Magistra perseuerent, & ab illa in omnibus dirigantur, sub pæna Nouitiæ ieiunandi per mensem omnibus ferijs sextis pane, & aqua, & Magistræ, si id permiserit, priuationis officij, & veli per annum.

14. Nequeant Moniales donare etiàm res à se manuum labore acquisitas, vel aliàs quomodolibet absque Præfectæ licentia, quæ anteà res donandas inspiciat sub

pæna

pæna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, & collocutorij per sex menses, tàm Moniali, quàm Præfectæ: Munera autèm non excedant valorem aliàs declaratum.

Capellani Monialium poterunt celebrare missam de Sancto, vel Sancta, de quibus Moniales officium recitant, sed cum Missali Romano de communi, si intra missale Romanum non est missa propria, vt Sacra Rituum Congregatio censuit 20. Nouembris 1628. 15.

Excessus expensarum, quæ occasione monacationis puellarum fieri solent, Nos impellunt, vt efficax adhibeamus remedium, ne perperàm erogatæ pecuniæ animos dotantium exterreant, & nullum, aut parum afferant Monasterio lucrum. Idcircò maturo adhibito consilio ad taxam, iam constitutam, & in nostra Cancellaria conseruandam, illas reducimus, neq; in futurum volumus, quod illa possit infringi. 16.

De Seminario Vitenbien. Cap. XXIX.

GErmen hoc nouùm nostri Seminarij Viterbiensis, cum pauca, & tenuia in Ciuitatibus, & Diœcesi beneficia sint, quæ vniri possint, & valeant, vix coalescere vnquam poterit, & vires acquirere. Idcircò necesse est, vt præcipue, & solùm nostri Cleri contributionibus, quæ ex decreto Sac. Cong. Concilij ad duo cum dimidio pro quolibet centenario taxatæ sunt, innitatur. Vt autem nostri Cleri simùl necessitatibus occurramus, cum redditus Ecclesiastici tenues sint, & alijs oneribus pergrauati; Idcircò quod tantùm possumus, libentèr facimus, & taxam certam, & perpetuam in hac Sacra Synodo publicaturi, illam commensurari, & metiri mandamús ad redditus præsentis, vel præteri-

ti anni, in quibus (si vnquam exiles fuerunt) maximè viles sunt prouentus Ecclesiastici; Ideoq; deputatis Canonicis nostri Seminarij iniungimus, vt taxam prædictam ad hanc rationem conficiant, vt in calce Constitutionis huius addatur, & imprimatur, & vnumquodq; Capitulum, & Clerus sciat, quid contribuere, & soluere sit obligatus.

De Obseruandis in Nostro Tribunali, & Taxa Episcopalis Cancellariæ, & Vicarijs Foraneis. Cap. XXX.

1. *Ex prima Synodo Mus fol. 139 citat.*

VIcarios Foraneos omni sagacitate indagare oportet, an Parochi, vt decet, Parochialia exerceãt munia, an officio suo satisfaciant, an intra præscriptos Parochiæ fines resideant, an accersiti statim sacramenta ministrent, Rursus an in Populo suæ iurisdictioni subiecto, in concubinatu, vsuris, aut alio publico scelere quisquam viuat, & similia, præsertim quoad sortilegia, incantationes, & id genus, & quoad festiuitatum obseruationem.

2. *Ex eadem ibidem, & vbi suprà.*

Si inter Clericos, aut laicos in causis ad Ecclesiasticum forum spectantibus, aliqua oriatur controuersia super re, quæ scutorum trium non excedat valorem, in suo quemque iure contineant, & pro vt Iustitia suaserit, lites terminent, & differentias componant, maiores autem causas nostræ remittant curiæ.

3. *Ex eadem ibidem, & vbi suprà.*

Quando delictum aliquod criminali iudicio terminandum in sua ditione commissum audierint, offensorum Accusationes, & querelas, ac testium depositiones, clausas, & obsignatas statim post quam fuerint susceptas

ceptis ad nos transmittant.

4\. *Ex eadem prima Synodo Mutij fol. 162 tit. de for. Episc.*

Querelas, Accusationes, inquisitiones, denunciationes, testificationes, constituta, processus, instrumẽta, patentes, litteras, & quascunque alias scripturas, cæterosque actus causarum, & negotiorum quorumuis Ciuilium, criminalium, & mixtorum, quæ in Curia nostra Episcopali dari, formari, suscipi, fieri, & scribi contigerit, fidelitèr, & integrè, ne iota quidem addito, vel diminuto, pro vt ab ipsis accusatoribus, denunciatoribus, testibus, actoribus, & reis, eorumque Procuratoribus exposita, data, & explicata fuerint, Notarij ipsi suscipiant, faciant, & scribant: si quando ignorantèr, vel casu erratum fuerit, non nisi conscio Vicario generali erratum corrigant, & emendent.

5\. *Ex eadem fol. 164. eod. tit. de for. Episc.*

Caueant Notarij sub pæna falsi, informationes, processus, testium depositiones, instrumenta, protocolla, apocas, & quascunq. alias scripturas, siue in membrana, siue in papyo exarata ad curiam nostram spectantia, seu in ea exhibita, & confecta, delere, supprimere, comburere, seu quauis alia ratione distrahere, aut sine scientia nostra eorum, vel earum exempla concedere, sub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ, cuius Nobis absolutionem reseruamus.

6\. *Ex 2. Synodo Mutij fol 191 tit de Immun. ter. Eccles.*

Sub eadem pæna omnia instrumenta, quæ ipsi tàm in Cancellaria, quàm extra stipulati fuerint, infra decem dies à stipulatione in protocollum referant.

De

1\. OBligare neminem intendimus ad horum Synodalium Decretorum obseruantiam, nisi post mensem impressionis eorum, & publicationis per Ciuitates, & Diœcesim.

2\. Vbi nulla adiecta est pæna, illa nostro arbitrio erit infligenda.

3\. Decreta, quibus Excommunicationis pæna non est adiecta, nolumus, quod obligent ad peccatum mortale, nisi in Iure cautum reperiatur, vel ex magis communi opinione Theologorum id incurratur, vel adsit transgressoris contemptus.

4\. Decreta præteritarum Synodorum intendimus in pristino robore relinquere, illaq; obligare, vt anteà, nisi quoad ea, quæ à Nobis in hisce constitutionibus Synodalibus mutata, vel abrogata fuerint.

De Examinatoribus, Iudicibus, ac Testibus Synodalibus. Cap. XXXII.

Concil. Trid. Sess. 24. c. 18. de refor.

SAcro Sancta Tridentina Synodus iudicauit maxime expedire Animarum saluti, eas, à dignis atque idoneis Parochis gubernari: quapropter statuit, vt Examinatores quolibet anno in Diœcesana Synodo eligantur, qui cum Episcopo, vel eius Vicario examen, præficiendorum Parochialibus Ecclesijs, perficiant; ideohuic Constitutioni inherētes pro amplitudine Diœcesis nostræ donec altera Synodus habeatur in Examinatores Synodales eligimus, & deputamus in Ciuitate Viterbij.

Admo-

Admodum R. R. D. D.

Timotheum Vannium Archipresbyt. Viterbien. I. V. D.

Hieronymum Victorium S. T. D. Thomam Turchium S. T. P. Carolũ Persianũ Pœnitentiariũ. I. V. D. Angelum Zollã I. V. D. Ioannem Bastonium Thæologũ S. T. D. Vincentium Tirocchum S. T. D. Thomam Faernum I. V. D.	Canonicos Cathedral. Ecclesiæ

Andream Oliuerium Archipresbyterum S. Xysti. S. T. D.
Christophorũ Maluicinum Canonicũ S. Angeli I. V. D.
P. Franciscum Mariam de Amatis è Societate Iesu.

In Ciuitate Tuscanellæ eligimus, & deputamus.

Admodum R. R. D. D.

Ægidium Constantinũ Primicerium Tuscanen. I. V. D.
Hieronymum Excatolium Archipresbyterũ Tuscanen.
Iosephum Pacificũ Rect. Curat. SS. Marci, & Syluestri.

In Iudices Synodales in Ciuitate Viterbij deputamus Adm. R. R. D. D.

Ioannem Baptistã Tomatum Archid. Viterbien. I. V. D.
Timotheum Vannium Archipresbyt. Viterbien. I. V. D.

Thomam Turchium S. T. P. Nicolaum Faianum Carolũ Persianũ Pœnitentiariũ I. V. D. Angelum Zollã I. V. D. Thomam Faernum I. V. D. Angelum Romanellum Marium Bonellium I. V. D.	Canonicos Cathedral. Ecclesiæ.

In Ciuitate Tuſcanellæ.

Adm. R. R. D. D.

Ægidium Conſtantinum Primiceriũ Tuſcanen. I. V. D.
Hieronymum Eſcatolium Archipresbyterum Tuſcanẽ.
Ludouicum Danzetta Canonicum Cathed. I. V. D.

In Teſtes Synodales eligimus, & deputamus deſcriptos in ſchedula penes nos exiſteñ.

Dat. Viterbij in Cathedrali Eccleſia S. Laurentij die xxv. Septembris Anno MDCXXXIX.

Franciſcusmaria Card. Brancaccius Epiſc. Viterbieñ, & Tuſcaneñ.

V. Tirocchus Secretarius.

Et cum Omnes, & ſingulæ ſupradictæ Synodales Conſtitutiones, lectæ, & publicatæ eſſent ab Ad. R. D. Vincentio Tirocccho Cathedralis Eccleſiæ Canonico Synodi Secretario, & Lectore deputato, & à R. D. Petro Paulo Brugnolo Curato Parochialis Eccleſiæ S. Andreę ſublectore, in Sugeſtu, alta, & intelligibili voce: fuerunt ab omnibus vnanimiter, ſponte, & libere receptæ: præſente, & inſtante R. D. Franciſco Spinello Canonico Colleg. Eccleſiæ S. Xyſti, & huius Diœceſanæ Synodi Promotore, qui acceptatis fauorabilibus, petijt ad omne bonum finem, & effectum, & ſpecialiter, vt veritas eluceſcat per me Notariũ infraſcriptum, vnum, vel plura confici inſtrumenta, &c. & obtinuit.

Acta

Acta fuerunt hęc Viterbij in Cathedrali Ecclesia S. Laurentij, præsentibus ibidem; Illustriss. & Reuerendiss. D. Ottauiano Abbate Carafa Prouinciæ Patrimonij Gubernatore, & PerIllustri, & Reuerendiss. D. Andreamattheo Monaco Prothonotario Apostolico Vicario Generali Viterbieñ & Tuscaneñ. Vniuerso Clero Ciuitatum, & Diœcesis, ac Perillustribus D. D. Angelo Napoleono, Paulo Almadiano, Bernardino Carellio Conseruatoribus, quamplurimis Nobilibus, & Ciuibus dictæ Illustrissimæ Ciuitatis Viterbij &c.

Et quia Ego Crucianus Tonius de Expello Clericus Spoletanæ Diœcesis, publicus Apostolica authoritate Notarius, & Curiæ Episcopalis Cancellarius dictæq. Synodi Notarius de præmissis omnibus, & singulis rogatus fui, ideo in finem, hic me Subscripsi, & meo solito signo publicaui requisitus &c.



Quam Sacrę Congregationis sententiam Sanctitas Sua ad se relatam approbauit, mandauitq; ab omnibus, ad quos pertinet, inuiolabiliter obseruari. Romæ 17. Nouembris 1628.

F. A. Card. S. Honufr.

P. Fagnanus Secr.

S.mi D. N. D. VRBANI DIVINA Prouidentia Papæ VIII. Constitutio contra male Ordinantes, & male Ordinatos.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

SEcretis æternæ prouidentiæ consilijs, nullo nostrorum suffragio meritorum, Speculatores Domus Israel, in sublimi Apostolatus culminine constituti, eò potissimum Pontificiæ sedulitatis officia conuertenda esse arbitramur, vt qui in sortem Domini Vocantur, Christiq. Militiæ dant nomen, spiritualem Ecclesiæ tranquilitatem non perturbent, sed pacem confirment, vires augeant, ac tam strenuè se gerant, vt ipsam terribilẽ, quasi castrorum aciem ordinatam, inferæ potestates; ac Principes tenebrarum quotidie magis perhorrescant: Hæc autem quanto impensius fieri optamus tanto maiori indignatione irreligiosam quorundam impudẽtiam detestamur, ac sacrilegam temeritatem exe-

cramur, qui Sacros Canones, Summorumq. Pontificum decreta non verentes, Clericales Ordines illegitimè suscipiunt, ac dum in Ecclesiasticorum ministrorum cœtum per nefas irrepunt, Dei cultui, animarum saluti, omnibusq. ad optimum Christianæ Republicæ regimen pertinentibus, plurimum obesse noscuntur. Alias siquidem fe: rec: Clemens Papa IIII. predecessor noster volens periculis animarum eorum obuiare, qui vinculo excommunicationis adstricti, aut apostatæ, seù irregulares, vel alias Ordinum sacrorum susceptione indigni, suam patriam, in qua de his haberetur notitia fugientes, se in remotis partibus faciebant ad huiusmodi Ordines promoueri, statuit, vt nullus Episcoporum Italiæ de cæterò aliquem Vltramontanum Clericum ordinare præsumeret, nisi ab eodem Clemente prædecessore, vel ab Episcopo, de cuius dioec. traxerat originem, ordinandus, vel in cuius dioec. beneficiatus existebat, per eius patentes literas causam rationabilem continentes, quare ipsum nolebat, aut nequibat ordinare, specialem licentiam haberet, eos verò, quos contra præmissa contigisset ordinari, manere voluit absq. spe dispensationis super hoc à Sede Apostolica obtinendæ suspensos, ac ordinantes condigna pœnitentia puniri. CVM autem non sine graui animi nostri molestia, Nobis innotuerit, quamplures Vltramontanos suæ salutis immemores, Deiq. timore postposito, ad Ordines prædictos cum falsis Dimissorialibus literis seù etiam cum titulo patrimonij ficto, vel fiduciario, seù etiam falso, cum maximo bonorum omnium scandolo, se promoueri fecisse. Nos innumeris, quæ ex minùs canonica Clericorum ordinatione huiusmodi proueniunt, malis, quantum Nobis ex Alto conceditur pro-

uidere

uidere volentes, prædictam Clementis prædecessoris constitutionem, cum omnibus, & singulis in ea contentis approbantes, & innouantes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione, nostris, deq. Apostolicæ potestatis plenitudine, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis in Italia existentibus tenore præsentium prohibemus, ne quouis prætextu, & ex quacunque causa, Hispanos, Lusitanos, Gallos, vel Germanos, aliosq. quoscunque Vltramontanos, & ex quibusuis locis extra Italiam oriundis, non solum ad Sacros, sed neque etiam ad minores Ordines, vel Clericalem characterem promouere audeant, seù præsumant, nisi dimissoriales suorum Ordinariorum literas à nostris, & huiùs Sanctæ Sedis Nuntijs, seù Collectoribus in illis partibus commorantibus recognitas, probatas, & subscriptas habeant, eorundemuè Nuntiorum, seù Collectorum subscriptiones à dilecto filio nostro in Alma Vrbe Vicario in spiritualibus generali similiter examinatæ, recognitæ, & probatæ fuerint, aliàs promouentes ad annum ab exercitiò Pontificaliũ, promoti verò perpetuæ suspensionis pœnam, absque spe dispensationis à Sede Apostolica obtinendæ, incurrant eo ipso. Insuper promotos huiusmodi, ac etiam eos, qui cum falsis, vel fictis, aut fiduciarijs patrimonij titulis sciẽter se ad Ordines huiusmodi promoueri fecerint, non solum prædictis, verumetiam maioribus arbitrio nostro, & pro tempore existẽtis Romani Pontificis infligendis pœnis. Italos verò, si quos in posterum Clericali charactere insigniri, vel ad minores Ordines promoueri ab alieno Episcopo, cum falsis dimissorijs contigerit, etiamsi qualitatibus per Cõcill. Trident. Decretum cap. 16. sess. 23. requisitis prædicti

dicti sint, Nihilominus sequuta tamen prius desuper Iudicis Ecclesiastici declaratione, fori priuilegio minimè gaudere, sed sæculari iurisdictioni, vt antea, plenè in omnibus subiacere, & subiectos esse respectiuè volumus, sicque & non aliter per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquā, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facien. non obstantibus quibuscunque. Per præsentes autem constitutioni rec. me. Pij Pape II. prædecessoris nostri contra malè promotos editæ nullatenus derogare intendimus, sed illam cum omnibus, & singulis in ea contentis, in suo robore, & efficacia permanere, perinde ac si præsentes non emanassent, decernimus. Vt autem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius deuenire possint, volumus, quod illæ, siuè earum exempla in valuis Basilicarum Santi Ioannis Lateranen. ac Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ, vt moris est, affixæ, omnes, & singulos, quos illæ concernunt perinde arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent; quodque earundem transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsum fides in iudicio, & extra illud vbique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Santum Petrum sub Annulo Piscatòris die 11. Decembris M.DC.

M. DC. XXIIII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

V. Theatinus.

Anno Millesimo sexcentesimo vigesimo quarto Indictione septima Pontificatus Sanctissimi D. N. D. Vrbani Diuina Prouidentia Papa VIII. anno II. die vero decimo sexto mensis Decembris, retroscripta littera Apostolica affixe, lecta, & publicata fuerunt ad valuas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellaria Apostolica acaei Campi Flora, per nos Alesandrum de Rosbis, & Fabium Emilianum Sanctiss. D. Papa Curs.

Brandimartes Latinus pro Mag. DD. Curs.

Prohibitiones Sacra Concregationis Fabrica Principis Apostolorum de Vrbe, eius Offirialibus, & Ministris, ne ab his qui legata pia, adimpleuerunt, & adimplementa ostendunt aliquid exigant.

EMinentissimi, & Reuerendissi DD. Cardinales Fabricæ Præfecti, vnà cum Reuerendissimis eius Prælatis in eiusdem Fabricæ Congregatione de more habita in Palatio Eminentissimi, & Reuerendissimi D. Cardinalis Decani die 23. Maij 1633. prohibuerunt Reuiliono, Commissarijs, & alijs quibusuis Officialibus, & Ministris Fabricæ, ne sub pœna restitutionis, alijsq; arbitrio Sacr. Congregationis aliquid exigant, vel recipiant prætextu quarumuis expensarum, viaticorum,

corum, actorum, & mandatorum, aut aliorum emolumentorum à debitoribus legatorum piorum conuentis in Tribunali Fabricæ, qui dicta legata adimpleuerint, illorumq; adimplementa, & satisfactiones ostendant, non obstante quod contra eos pro dictis legatis à Iudicibus, Commissarijs, aut alijs Ministris Fabricæ fuisset relaxatum mandatum. Et ita inuiolabiliter obseruari mandarunt.

Et in altera eiusdem Fabricæ Congregatione habita sub die 13. Iunij eiusdem anni. Iјdem Eminentissimi, & Reuerendissimi DD. Cardinales vnà cum Reuerendissimis eius Prælatis mandarunt seruari supradictam prohibitionem, quod ab his qui legata adimpleuerunt, & ademplimenta ostendunt nihil penitus exigatur. Et hæc omnia in Officijs Fabricæ, ac etiam in Instructionibus Commissariorum annotari, ne de his prætendatur ignorantia, & ab omnibus inuiolabiliter obseruari. In quorum fidem &c. Dat. Romæ in Collegio dictæ Fabricæ, die 14. mensis Iunij 1633.

D. Card. Ginnasius.

C. de Ghettis Oecon. gratis.

Decreta

Decreta Sacræ Congregationis Reuerendæ Fabricæ S. Petri de Vrbe, prohibentia eius Officialibus, & Miniſtris, ne aliquid recipiant ab exhibentibus adimplementa, & quietantias legatorũ piorũ.

In Congregatione generali Reuenda Fabrica S. Petri, habita de more in Palatio Eminentiſs. & Reuerendiſs. D. Card. Decani die Sabbati 25. Septembris 1632, inter cætera fuit decretũ prout infra videlicet.

OEconomo Fabricæ, peten: prouideri in debitis Commiſſariorum vexationibus quas partibus, quæ iam legata pia per eas debita adimpleuerunt illorumq; adimplementum oſtendunt, & nihilominus ab eis ſemel, & pluries, contra formam Ordinationum huius ſacræ Congregationis, & Inſtructionum pecunias extorquent pro interponeñ decretis ſuper viſione, & approbatione quietantiarum quas illis partes exhibent.

Eminentiſsimi DD. prohibuerunt Cõmiſſarijs nunc, & pro tempore exiſten: ne aliquid à dictis partibus etiam conuentis, & quietantias exhibentibus, aut pro dicta exhibitione, aut Decreto, aut alio quouis prætextu recipiant, quod ſi contrafecerint, illud totum ijſdem partibus reſtituant, & reſtituere compellantur,

& præmiſſa ab omnibus quorum intereſt inuiolabiliter ſeruari mandarunt. Omni &c.

Et in alia Congregatione generali habita vbi ſupra die Sabbati 13. Nouẽbris eiuſdem, anni inter alia fuit decretum prout infra videlicet.

Eminentiſſimi D D. confirmando Decretum in præcedenti Congregatione, factum contra Commiſſarios extorquentes pecunias ab his, qui iam legata adimpleuerunt, non ſolum mandarunt dictos Commiſſarios compelli ad reſtitutionem illius, quod à prædictis extorſiſſent, ſed ampliùs illos eorum officio priuarunt, & priuant, & hæc ſignificari mandarunt etiam Reuiliono, vt tales Commiſſarios prædictis contrafacientes etiam pœna dictæ priuationis puniri poſſit, omni &c. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Collegio eiuſdem Fabricæ dicta die 13. Nouembris 1632.

D. Card. Ginnaſius.

C. de Ghettis Oecon.

Decre-

Decretum Sac. Congreg. Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe Super Legatis relictis P P. Minoribus de Obseruantia S. Francisci.

CVm sæpius fuerit habitus recursus ad Sacram Congregationem Veñ Fabricæ S. Petri super annuis Legatis actis, seù facieñ ad fauorem Fratrum S. Francisci Minorum de Obseruantia, cum onere Missarum, seú Officiorum siuè gratis, siuè alio modo.

Prætendente Veñ Fabriea S. Petri ad illam spectare propter dd. Fsatrum incapacitatem huiusmodi Legatorum.

Dictis autem Fratribus allegantibus posse annua legata huiusmodi recipere tuta conscientia, quatenùs hæres ex sua libera voluntate voluerit illa dare in elæemosinam, & committere Fratribus dd. Missas, & Officia iuxta sententiam S. Bonauenturæ, & Decreta S. Congregationis à Sanctissimo D. Nostro Fratrum Minorum de Obseruantia S. Francisci Cismontanæ familiæ Consultationibus præpositæ sub die 4. Iunij 1628. publicata.

Eadem Sacra Congregatio pro opportuna præmissorum prouisione facta prius relatione Sanctissimo D. N. Vrbano Papæ Octauo, ac de illius expresso ordine, & mandato, decreuit in futurum super husmodi Legatis obseruari, vt infrà.

Quod huiusmodi Legata per Debitores vel hæredes non extinguantur, vel reducantur per compositionem cum Ministris Fabricæ faciendam, vel alio quouis modò,

dò, sed illorum Capitale, siuè sors principalis, vel proprietas absque aliqua diminutione conseruetur semper, & perpetuò ad effectum, vt in vsus Romano Pontifici pro tempore exitenti benè visos possint applicari; Ita tamen, vt quamdiù applicationem specialem auctoritate Apostolica fieri non contigerit, hæredes, vel Debitores possint liberè si velint dictis Fratribus dare dicta annua legata per eosdem Fratres recipienda in elæmosinam, non autem per eos exigenda. Et quod quæuis extintio, reductio, seù diminutio capitalis, seù proprietatis aliter absquè speciali Romani Pontificis permissione facta, eo ipso nulla sit, nec Debitoribus, aut alijs quibuscunque suffragetur.

Quodq; Commmissarij, alijque Ministri Veñ Fabricæ super huiusmodi capitale, seù proprietate supradicta, se de cætero non intromittant, nec dictos hæredes, seù Debitores aliquo modo molestent, nisi ad effectum reinuestiendi in casu reinuestimenti, seù prouidendi, vt conseruetur, vt supra, aut aliàs in executionem applicationis auctoritate apostolica fact. vel facien.

Et quod nolentibus dd. hæredibus, vel Debitoribus dare supradictis Fratribus dd. elæemosinas, seù annuas præstationes, siuè Legata, vt supra, soluere, vel illas seu illa nō soluentibus, tùnc, & eo casu lapsis duobus annis à die obitus Testatorum, si fuerit maturatum Legatum, vel à die maruratæ illius solutionis eadem Fabrica, & illius Commissarij, & Ministri id totum, quod solutum non fuerit pro præterito, pro rata tamen, in qua fuerit, vt supra elapsum biennium, vel vltra, possit, & valeat annuas præstationes huiusmodi exigere, exigiq; facere ad sui beneficium, iuxtà suas facultates, & Priuilegia; saluo semper capitali, seù proprietate, vt supra ad effectum,

ctum, quod hæredes, vel debitores (dummodò de eis per Romanum Pontificem pro tempore existentem aliter nō fuerit dispositum, nec prædicta Legata in alios vsus eius auctoritate applicata fuerint, vel applicari contigerit) possint, si velint, etiam quandocunq; futuris temporibus, & sic deinceps in perpetuum dare dictis Fratribus dicta annua Legata in elæemosinam, vt supra, nec Fabrica eosdem hæredes, vel Debitores molestare possit, & valeat toties, & quoties casus contigerit, nisi pro præterito, & tùnc in illis terminis tantùm, post quorum maturationem fuerit elapsum biennium, vel vltra, vt supra; salua semper erectione Beneficiorum, & applicatione Legatorum, seù quorumcunque bonorum, & reddituum, ac Iurium eisdem Beneficijs, seù alijs vsibus pijs auctoritate Apostolicà facta, vel in posterum quandocunque, & quomodocunque facienda, & executione literarum Apostolicarum desuper expeditarū, seù expediendarum; Itaut præfata decreta ad illas nequaquam se extendant, sed illæ semper firmæ, & illesæ remaneant, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri debeant, ità quod neque Fabrica, neque hæredes, vel Debitores præfati, vllo modo illas impedire, retractare, vel controuertere valeant, & saluis semper Sedis Apostolicæ auctoritate, ac facultatibus competeñ dictæ Sacræ Congregationi Veñ Fabricæ.

Proibuit tamen eadem Sacra Congregatio Fratribus supradictis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, ne audeant, seù præsumant, nec quilibet eorum audeat, seù præsumat per se, nec per alios Sindicos, Ministros, seù Procuratores tàm seculares, quàm Regulares dictas anuas præstationes, seù Legata, nec iudicialiter tam corā quocunque Iudice Ecclesiastico,

quàm

quàm seculari Ordinario, vel Delegato, nec aliàs nisi iuxta formā dicti Decreti Congregationis Fratrum Minorum de Obseruantia Sancti Francisci Cismontanæ familiæ à Sanctissimo D.N. deputatæ ab hæredibus, seù quibusuis alijs eorum Debitoribus petere, minusuè dd. hæredibus, seù Debitoribus facere aliquas receputas pro dd. annuis præstationibus, nisi pro rata, & pecunia, seù elæemosinis supradicti cum effectu, ac verè, & realiter eisdem Fratribus data, vel soluta, seù datis vel solutis, nec sub alia Data, nisi sub ea, qua verè fuerit ijsdem Patribus, aut alijs pro eis facta realis satisfactio, & insuper, ne Prouisos Apostolicos pro tempore de Beneficijs, quibus Legata supradicta fuerint aplicata, vel eorum Procuratores, & Ministros super erectione dd. Legatorum directè, vel indirectè impedire, vel molestare quouis quæsito colore, vel prætextu audeant, vel præsumant. In quorum fidem, &c. Dat. Romæ ex Collegio eiusdem Sacræ Congregationis, die 14. Februarij 1633.

Dominicus Card. Ginnasius.

C. de Ghettis Oecon. gratis.

Illustriss.

EPiscopus Syracusanus visitans suam Dioecesim, & Ciuitatem in multis locis non habet carceres proprias, vel si habet eas non tutas, & commodas, & quia aliquando multi sunt laici debitores Ecclesiarum, & locorum piorum, quos carcerare necesse est, sicuti etiam pro delictis ad ipsum spectantibus, itaut necessitetur Episcopus eosdem debitores, vel reos detrudere in carceribus secularibus, Iudices verò laici ad impediendam executionem, & iurisdictionem Ecclesiasticam, vel alia causa moti prætendunt eosdem retinere sub vanis prætextibus, & aliquandò eos extrahere.

Dubitatur, numquid talis Iudex secularis, vel minister iustitiæ cuiuscumque gradus, status, & conditionis existat, possit istud facere, cùm videatur directè, vel indirectè contra iurisdictionem Ecclesiasticam, & quid in casu, quo committatur per dictos Iudices, & ministros, vt suprà, an Episcopus possit procedere etiam ad excommunicationem contra ipsos?

Die 24. Januarij 1626.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum censuit, huiusmodi debitores, vel Reos, de Episcopi mandato in carceribus laicalibus detentos, nequaquàm posse à Iudicibus, & ministris laicis dimitti, vel extrahi absque Episcopi licentia, & in sic dimittentes, vel extrahentes licere Episcopo animaduerto etiam poenis, & censuris Ecclesiasticis.

Cos. Card. de Torres.

Prosper Fagnanus.

Decratum Sac. Congr. Concilij de Clausura Monialium die 26. Iunij 1627.

IN vna Viterbien; quesitum fuit, An Episcopus ob clausuram custodiendam, etiam in Monasterijs Regularibus subiectis possit excommunicationis latæ sententiæ pænam sibi reseruatæ, imponere, circa aperitionem hostij clausuræ extra Casus indigentiæ, nec nô circa accessus, & colloquia cum Monialibus, dictaq; excommunicatio liget nedum Regulares accedentes, verum etiam Moniales, facta de illis mentione, adeo vt superior Regularis ab huiusmodi excommunicatione absoluere nequeat.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum respondit, Episcopum posse.

F. Card. Verospius.

Franciscus Paulutius S. C. C. Secr.

Sacra

Decratum S. C. Concil. Trid. De officijs mortuorum in Ecclesijs mendicantium.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum sæpius censuit, quoties cadauera defunctorum ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur Officia Mortuorum, ac reliqua, quæ in huiusmodi ministerio adhiberi solent, non à Canonicis, neque à Clero, sed à Fratribus obiri, ac peragi debere.

Cos. Card. de Torres.

P. Fagnanus.

Decretum Sacræ Cōgregationis rituum de facultate dicendi Officium, & Missam de Sancto Roccho, in locis vbi adsunt Ecclesiæ in eius Honorem. ædificatæ.

CVm actum fuisset pluries in Sacra Rituum Congregatione de conceden Missa, & Officio in Festo S. Rocchi, qui penès omnes Christi fideles in maxima veneratione semper est habitus; Tandem sub die 30. Iunij 1629. Eadem Sacra Congregatio, Negotio maturè discusso, censuit esse conceden Missam, & Officium in die Festo S. Rocchi de communi Confes-

foris non Pontificis; in ijs tamen locis, vbi adſunt Ecclesiæ in eius honorem ædificatæ, & ſeruatis Rubricis Breuiarij; & hæc reſolutio fuit facta conſentientibus omnibus Illuſtriſſimis Patribus, Et inſtante preſertim Don Didaco Lopez de Zunica, qui hoc enixè petijt nomine Ville, ſeù oppidi Matriti; quam reſolutionem Sanctiſſimus D. N. approbauit, & laudauit Die 4. Iulij 1629.

Io. Baptiſta Card. Detus.

F. Fuluius Benignus Secr.

Dies quibus in Tribunali Epiſcopali ius dicere non licet.

IANVARIVS. habet dies 31.

1 FEſtum Circuncisionis Domini vſque ad ſecundam diem poſt Epyphaniam incluſiue.
17 Antonij Abbatis.
20 Fabiani, & Sebaſtiani.
21 Agnetis Virginis.
25 Conuerſionis S. Pauli.
27 Hylarij, & Valentini.

FEBRV.us habet dies 28. & Ann. Biſ. 29.

2 PVrificationis B. M. Virginis.
3 Blaſij Epiſcopi, & martiris.

22 Ca-

22 Cathedræ S. Petri Apostoli.
24 Matthiæ Apostoli, & Ann. Bis. celebratur 25.

MARTIVS. habet dies 31.

7 THomæ de Aquino.
12 Gregorij Papæ.
19 Ioseph Sponsi B. Mariæ
20 S. Ioachimi confess. patris B. Virg.
25 Annunciationis B. Mariæ Virg.
Omnes dies Veneris huius mensis.

APRILIS. habet die 30.

25 MArci Euangelistæ.

MAIVS. habet die 31.

1 PHilippi, & Iacobi Apostol.
3 Inuentionis S. Crucis.
6 Ioannis ante portam latinam.
8 Apparitio S. Michaelis Archangeli.

IVNIVS. habet dies 30.

11 BArnabæ Apostoli.
24 Natiuitas S. Ioannis Baptistæ.
29 Petri, & Pauli Apostolorum.

IVLIVS. habet dies 31.

2 VIsitationis B. M. Virginis.
22 Mariæ Magdalenæ

25 Iacobi Apostoli.
26 Annæ matris B. M. Virg.*

AVGVSTVS. habet dies 31.

1 PEtri ad Vincula.
4 Dominici confessoris.
5 Festum Niuis.
6 Transfig. Domini, & Xysti Papæ
10 Laurentij mart.
15 Assumptionis B. M. V.
16 Rocchi Confessoris
25 Bartolomei Apostoli
28 Augustini Episcopi
29 Decollationis S. Io: Baptistæ.

SEPTEMBER. habet dies 30.

4 ROsæ Virginis
8 Natiuitatis B. M. V.
14 Exaltationis S. Crucis.
21 Matthæi Apost. & Euang.
29 Michaelis Arcangeli
30 Hieronymi confessoris

OCTOBER. habet dies 31

4 FRancisci confessoris.
18 Lucæ Euangelistæ.
28 Simonis, & Iudæ Apost.

NOVEMBER. habet dies 30.

1 OMnium Sanctorum.
2 Commemorationis Defunctorum.
11 Martini Episcopi, & confess.
21 Præsentatio B. M. V.
22 Ceciliæ Virginis, & mart.
25 Catherinæ Virginis, & mart.
30 Andreæ Apostoli.

DECEMBER. habet dies 31.

6 NIcolai Episcopi.
7 Ambrosij Episcopi.
8 Conceptionis B. M. V.
13 Luciæ Virg. & mart.
21 Thomæ Apost. vsque ad secundam Epiphaniæ.

CERTI.

Dies Dominici
Dies tres à Sabbati qua Iubileum indicitur Ecclesiæ Diuæ Mariæ Supra quercũ in mense Septembris.

INCERTI.

Dies Lunæ ante Carnis priuium vsque ad diem Cineris.

MOBILES.

Dies Paschatis Resurrectionis Domini cũ quatuor diebus precedentibus, & tribus sequentibus.
Dies Ascensionis Domini.
Dies Pentecostes cum tribus sequentibus.
Dies Festus SS. Corporis Christi.
Dies XV. propter messes.
Dies XV. propter vindemias.

TA-

TAVOLE PERPETVE MORALI

Per sapere in ciascun giorno l'hore Italiane per dir la Messa, il Mattutino, e per l'osseruanza di altri precetti Ecclesiastici.

Date già in luce da vn Religioso Theologo, e di nuouo riuedute dal medesimo.

Auuertimenti per le seguenti Tauole.

LE seguenti Tauole composte per l'altezza di gradi 41. del polo, possono sẽza scrupolo seruire per l'altre altezze de' gradi vicini 39.40.42.43. sotto le quali si comprendono in Italia Napoli, e suo Regno (fuorche la Calabria vlteriore) Roma, e Stato intorno; Viterbo, & Prouincia del Patrimonio, Vmbria, Marca d'Ancona, Toscana, Corsica, & in Sardegna, il Capo di Lugodori: e fuor d'Italia quei Regni, e Prouincie, che sono sottoposti alla stessa altezza.

In queste Tauole non si pretende assegnare l'hora precisa, e puntuale de' sudetti tempi; percioche facendosi quasi ogni giorno mutatione di qualche minuto, nõ potrà hauersi l'hora certa senza l'vso di alcuna Tauola spasa; ma solo vn'hora poco più, ò meno della vera, & astronomica, stimata da Theologi nell'attioni humane sufficiente, per sodisfare alla circostanza del tempo richiesta ne' precetti Ecclesiastici, chiata perciò da essi tempo, ouero hora morale.

In oltre, perche l'hore qui assegnate sono secõdo gli horologi à ruote, ò à cãpane, nõ si douerà da quelle scemare il tẽpo de' crepuscoli come si suole nell'altre tauole de gli horologi solari; ma l'hore per esempio diciotto saranno appunto quando si vdirãno li sei tocchi della Cãpana, e così dell'altre.

Di più se in alcun luogo saranno molti horologi, potrà ciascheduno seruirsi di quello, che più gli piacerà, ancorche vada, ò più presto, ò più tardi de gl'altri, purche la differenza notabile non mostri euidente errore.

Prima

Del mezzo giorno, e del Mattutino priuato.

LA notitia del mezzo giorno è necessaria primieramente a'Sacerdoti, a'quali non è lecito regolarmente senza priuilegio dir la messa dopo il mezzo giorno se non fosse di poco tempo passato.

Secondo per l'osseruanza del digiuno Ecclesiastico; percioche prima del mezzo giorno non si può mangiare, se non fosse anticipatione di poco tempo quale stimano alcuni Teologi di mezz'hora, altri d'vn'hora, & anche più. In ogni modo basterà che nel mezzo giorno si troui il Fedele cenando ancorche in quel tempo la cena fosse verso il fine.

Terzo a'Sagrestani li quali alla stessa hora del mezzo giorno doueranno dar nelle loro Chiese con la campana il segno dell'Aue Maria.

Quarto, se bene è riceuuta la dottrina di S. Tomasso, potersi recitare priuatamente il Mattutino del giorno seguente finiti nelle Chiese li Vespri del precedente, dalli quali si da principio, come alla solennità, così al giorno che segue detto dal S. Dottore Ecclesiastico: à differenza del giorno ciuile che comincia dalla mezza notte: donde inferiscono altri, che nella Quaresima finiti li Vespri che si cantano innanzi al desinare, sia perciò lecito recitare il seguente Mattutino: nondimeno per più certa regola si aggiugne qui vn'altra Tauola dell'hora determinata in ciaschedun giorno perciò fare conforme all'opinione similmente riceuuta di coloro, li quali passata la terza parte del giorno artificiale detta già da gli Hebrei (secondo la più vera diuisione) Hora nona, stimano potersi recitare il Mattutino del giorno che segue, essendo regolarmente in quel tempo detti li Vespri nelle Chiese. L'hore dunque dell'vna, e l'altra Tauola in ciaschedun giorno sono le seguenti.

Mesi, e giorni dell'anno.	*Hore del mezzo giorno.*	*Tempo del Mattutino.*
Gen. Da 1. fin'a 12	hore dicennoue.	hore 21. e quarto.
Da 13. fin'a 31	ho. 18. e tre quar.	hore 21. e quarto.
Febr. Da 1. fin'a 15	hor. 18. e mezza.	hore vent'vna.
Da 16. fin'a 24.	hore 18. e quart.	hore vent'vna.
Da 25. fin'a 28.	hore diciotto.	ho. 20. e tre quar.
Mar. Da 1. fin'a 5.	hore diciotto.	ho. 20. e tre quar.
Da 6 fin'a 15.	ho. 17. e tre quar.	ho. 20. e tre quar.
Da 16. fin'a 26	hor. 17. e mezza.	hore 20. e mezza.
Da 27. fin'a 31	hore 17. e quart.	hore 20 e mezza.
Apr. Da 1 fin'a 10.	hore 17. e quart.	hore 20. e quarto.
Da 11. fin'a 20.	hore dicesette.	hore 20. e quarto.
Da 21. fin'a 30.	ho. 16. e tre quar.	hore venti.
Mag. Da 1. fin'a 15.	hor. 16. e mezza.	hore venti.
Da 16. fin'a 31	hore 16. e quart.	ho. 19. e tre quar.
Giu. Tutto Giugno	hore sedici.	ho. 19. e tre quar.
Lugl. Da 1. fin'a 12	hore sedici.	hore venti.
Da 13. fin'a 31.	hore 16. e quarto	hore venti.
Agos. Da 1. fin'a 15	hore 16. e mezza.	hore 20. e quarto.
Da 16. fin'a 25.	ho. 16. e tre quar.	hore 20 e quarto.
Da 26. fin'a 31.	hore dicessette.	hore 20. e quarto.
Sett. Da 1. fin'a 5.	hore dicessette.	hore 20. e quarro.
Da 6. fin'a 16.	hore 17. e quarto	hore 20. e mezza.
Da 17. fin'a 27.	hor. 17. e mezza.	hore 20. e mezza.
Da 28. fin'a 30.	ho. 17. e tre quar.	ho. 20. e tre quar.
Ott. Da 1. fin'a 10.	ho. 17. e tre quar.	ho. 20 e tre quar.
Da 11. fin'a 20.	hore diciotto.	hore vent'vna.
Da 21. fin'a 31.	hore 18. e quarto	hore vent'vna.
Nou. Da 1. fin'a 15	hore 18. e mezza.	hore vent'vna.
Da 16. fin'a 30.	ho. 18. e tre quar.	hore 21. e quarto.
Dec. Tutto Dec.	hore dicennoue.	hore 21. e quarto.

Secon-

Della Mezza notte, & Alba della sera.

SOno l'hore della mezza notte necessarie à saperſi primieramente per l'osseruāza del digiuno naturale à coloro, che vogliono dir la messa, ò cōmunicarſi la mattina seguente, a'quali da quell'hora auanti ſi prohibisce prendere qualsiuoglia sorte di cibo, ò beuanda.

Secondo per l'osseruanza del digiuno Ecclesiaſtico, e de' cibi vietati ne' Venerdi, e Sabbati, l'obligo de'quali nella mezza notte come comincia per lo giorno seguente, così finisce lo precedente

Terzo ꝑ la prohibitione del lauorare nelle feſte cōmādate, la quale ſimulmēte comincia; e finisce nella medeſima hora (cio che ſia dell'vſanza d'altri paeſi) non eſſendo lecito da vna mezza notte all'altra far opere seruili, se non fosse per poco tempo variamente determinato da'Dottori.

Quarto per la prohibitione delle nozze, la quale come comincia nella mezza notte precedēte al giorno delle Ceneri, & alla prima Domemica dell'Aduento conforme all'vſo Romano (ancorche in alcuni paeſi cominci nelli primi veſpri del ſabbato) così finisce nella mezza notte doppo il giorno dell'Epifania, e Domenica in albis.

Quinto à quei Religiosi li quali ſi leuano à mezza notte per cantar in coro il Mattutino.

Sesto finalmente, perche alcuni Teologi ſtimano che l'Indulgenze concesse alle Chiese fino al tramontar del Sole ſi possono guadagnar anche mentre durano li crepuscoli, ò vogliamo dire, alba della sera, che è il vero, e perfetto termine del giorno, durando anche doppo tramontato il Sole per vn pezzo l'aria sopra l'horizonte illuminata, come ſi dirà più à basso, percio ſi aggiūge vn'altra Tauola, la quale moſtra il fine dell'Alba della sera. L'hore dunque dell'vna, e l'altra in ciascheduno giorno, e meſe sono le seguenti.

Mesi, e giorni dell'anno.	*Mezza notte.*	*Alba della sera.*
Gen. Da 1. fin'a 12	hore sette.	hora 1. e quarto
Da 13. fin'a 31	ho. 6. e tre quar.	hora 1. e quarto
Febr. Da 1. fin'a 15	hore 6. e mezza.	hora 1. e quarto
Da 16. fin'a 24.	hore 6 e quarto.	hora 1. e quarto
Da 25. fin'a 28	hore sei.	hora vna.
Mar. Da 1. fin'a 5.	hore sei.	hora vna.
Da 6. fin'a 15.	hore 5. e tre quarti	hora vna.
Da 16. fin'a 26.	hore 5. e mezza.	hora vna.
Da 27. fin'a 31	hore 5. e quarto.	hora vna.
Apr Da 1. fin'a 10.	hore 5. e quarto.	hora 1. e quarto.
Da 11. fin'a 20.	hore cinque.	hora 1. e quarto
Da 21. fin'a 30.	ho. 4 e tre quar.	hora 1. e quarto.
Mag. Da 1 fin'a 15	hore 4. e mezza	hora 1. e mezza.
Da 16. fin'a 31.	hore 4. e quarto	hora 1. e mezza.
Giu. Tutto Giugno	hore quattro.	ho. 1. e tre quar.
Lugl. Da 1. fin'a 12	hore quattro.	ho. 1. e tre quar.
Da 13. fin'a 31.	hore 4. e quarto.	hora 1. e mezza
Ago. Da 1. fin'a 15.	hore 4. e mezza.	hora 1. e mezza.
Da 16 fin'a 25.	ho. 4. e tre quarti	hora 1. e mezza.
Da 26. fin'a 31.	hore cinque.	hora 1. e quarto.
Sett Da 1. fin'a 5.	hore cinque.	hora 1. e quarto.
Da 6. fin'a 16.	hore. 5. e quarto.	hora 1. e quarto.
Da 17. fin'a 27.	hore 5. e mezza.	hora vna.
Da 28. fin'a 30.	ho. 5. e tre quarti	hora vna.
Ott. Da 1. fin'a 10.	hore 5. e tre quar.	hora vna.
Da 11. fin'a 20.	hore sei.	hora vna.
Da 21. fin'a 31.	hore 6. e quarto.	hora vna.
Nou. Da 1. fin'a 15	hore 6. e mezza.	hora 1. e quarto.
Da 16. fin'a 30	hore 6 e tre quar.	hora 1. e quarto.
Dec. Tutto Dec.	hore sette.	hora 1. e quarto.

TERZA TAVOLA

Dell'Alba della mattina, e Nascimento del Sole.

L'Aurora, ò crepuscoli, chiamati volgarmente l'Alba della mattina, altro nõ è; che vn primo raggio per mezzo del quale l'aria più vicina all'horizzonte viene illuminata dal Sole, quando si ritroua ancora sotto terra per 18. gradi, il quale si come la mattina auuicinandosi pian piano la va successiuamente illuminando fin'à tanto che spunti; così anche la sera doppo tramõtato allontanandosi, le va togliẽdo il lume fin à tanto che lascia affatto d'illuminarla con l'vltimo suo raggio. Ne si toglie che in alcun luogo doue ò da monte vicino, ò da altro accidente impedito non si vede la prima ò vltima aria illuminata nel modo detto, non sia anche alla medesima hora qui notata il principio, ò fine dell'alba. E dunque primieramente necessaria la cognitione dell'Alba della mattina a' Sacerdoti a' quali non è lecito regolarmente senza priuilegio celebrare auanti il principio di quella, se pure l'anticipatione non fosse di poco tempo.

Secondo a' Sagrestani per dar il segno dell'Aue Maria la mattina nelle Chiese, il quale come, non deue regolarmẽte sonarsi prima dell'alba, così non deue aspettarsi il tempo molto chiaro conforme all'vso delle Basiliche Romane.

Terzo finalmẽte s'aggiũge vn'altra Tauola del nascimẽto del Sole per commodità tanto di quei Religiosi, i quali à quel tempo sogliono cantar Prima nel Coro, quanto de' Preti secolari, li quali alla medesima hora si congregano per cominciare nelle loro Chiese gli vfficij diuini; e per altri vsi. L'hore dunque dell'vna, e l'altra Tauola in ciaschedun giorno del mese sono le seguenti.

Mesi

Mesi, e giorni dell'anno.	*Alba della mattina.*	*Nascimento del Sole.*
Gen. Da 1. fin'a 4	ho. 12. e tre quar.	hore 14. e mezza.
Da 5. fin'a 15	hore 12. e mezza.	hore 14. e quart.
Da 16 fin'a 24	hore 12. e quarto.	hore quattordici.
Da 25. fin'a 31	hore dodici.	ho. 13 e tre quar.
Febr. Da 1. fin'a 7	ho. 11. e tre quar.	hore 13. e mezza.
Da 8. fin'a 12	hore 11. e mezza.	hore 13. e quarto.
Da 13. fin'a 18	hore 11. e quarto.	hore tredici.
Da 19. fin'a 24	hore 11. e quarto.	ho. 12. e tre quar.
Da 25. fin'a 28	hore vndici.	hore 12. e mezza.
Mar. Da 1. fin'a 7	hore vndici.	hore 12. e quarto.
Da 8. fin'a 12	ho. 10. e tre quar.	hore dodici.
Da 13. fin'a 17	hore 10. e mezza.	ho. 11. e tre quar.
Da 18. fin'a 22	hore 10 e quarto.	hore 11. e mezza.
Da 23. fin'a 25	hore diece.	hore 11. e quarto.
Da 26. fin'a 28	hore 9. e tre quar.	hore 11. e quarto.
Da 29. fin'a 31	hore 9. e mezza.	hore vndici.
Apr. Da 1. fin'a 4	hore 9. e quarto.	hore vndici.
Da 5. fin'a 9	hore noue.	ho. 10. e tre quar.
Da 10. fin'a 15	hore 8. e tre quar.	hore 10. e mezza.
Da 16. fin'a 20	hore 8. e mezza.	hore 10. e quarto.
Da 21 fin'a 26	hore 8. e quarto.	hore dieci.
Da 27. fin'a 30	hore otto.	hore 9. e tre quar.
Mag. Da 1. fin'a 3	hore 7. e tre quar.	hore 9. e tre quar.
Da 4. fin'a 9	hore 7. e mezza.	hore 9. e mezza.
Da 10. fin'a 18	hore 7. e quarto.	hore 9. e quarto.
Da 19 fin'a 26	hore sette.	hore noue.
Da 27. fin'a 31	hore 6. e tre quar.	hore 8. e tre quar.
Giu. Da 1. fin'a 8	hore 6. e mezza.	hore 8. e tre quar.
Da 9. fin'a 30	hore 6. e quarto.	hore 8. e mezza.
Lugl. Da 1. fin'a 6	hore 6. e mezza.	hore 8. e mezza.
Da 7. fin'a 18	hore 6. e tre quar.	hore 8. e tre quar.
Da 19. fin'a 27	hore sette.	hore noue.
Da 28. fin'a 31	hore 7. e quarto.	hore 9. e quarto.

Ago-

Mesi, e giorni dell'anno.	*Alba della mattina.*	*Nascimento del Sole.*
Agost. Da 1. fin'a 5	hore 7. e mezza	hore 9. e quarto.
Da 6. fin'a 12	hò. 7. e tre quar.	hore 9. e mezza.
Da 13. fin'a 17	hore otto.	hore 9. e tre quar.
Da 18. fin'a 24.	hore 8. e quarto.	hore dicce.
Da 25. fin'a 31	hore 8. e mezza.	hore 10. e quarto
Sett. Da 1. fin'a 4.	hor. 8. e tre quar.	hore 10 e mezza.
Da 5. fin'a 8.	hore noue.	ho. 10. e tre quar.
Da 9. fin'a 12	hore 9 e quarto.	hore vndici.
Da 13. fin'a 16	hore 9. e mezza.	hore vndici.
Da 17. fin a 20	ho. 9 e tre quar.	hore 11. e quarto.
Da 21. fin'a 26	hore diece.	hore 11. e mezza.
Da 27. fin'a 30	hore 10. e quarto	ho. 11. e tre quar.
Ott. Da 1. fin'a 6.	hore 10. e mezza	hore dodici.
Da 7. fin'a 12	hore 10. e tre quar.	hore 12. e quarto
Da 13. fin'a 18	hore vndici.	hore 12. e mezza
Da 19 fin'a 23	hore vndici.	hore 12. e tre quar.
Da 24. fin'a 28	hore 11. e quarto	hore tredici.
Da 29 fin'a 31	hore 11. e mezza	hore 13. e quarto.
Nou. Da 1. fin'a 4	hore 11. e mezza	hore 13. e quarto.
Da 5. fin'a 11	ho. 11. e tre quar.	hore 13. e mezza.
Da 12. fin'a 18	hore dodici.	ho. 13. e tre quar.
Da 19. fin'a 26	hore 22. e quarto	hore quattordici.
Da 27. fin'a 30	hore 12. e mezza	hore 14. e quarto.
Dec. Da 1. fin'a 9	hore 12. e mezza	hore 14. e quarto
Da 10. fin'a 31	ho. 12. e tre quar.	hore 14. e mezza.

IL FINE.

Errata

TASSA

Del Tribunale Vescouale ordinata dal Eminentiss. & Reuerendiss. Sig. Card. Brancaccio Vescouo di Viterbo, e Toscanella.

Nella Sinodo Diocesana celebrato in Viterbo à di 21. Settembre 1639.

VOlendo Noi, che nelle Città di Viterbo, e Toscanella, & altri luoghi della nostra Diocesi sia senza aggrauio de sudditi amministrata la giustitia per remouere le controuersie che tal hora occorrono per cause de pagamenti delle sportole, e mercedi, che si deuono à nostri officiali; Habbiamo stabilito le sottoscritte Tasse, quali vogliamo che s' osseruino inuiolabilmente nelle cause che s'agiteranno, nel nostro Tribunale.

Delle Cause essecutiue.

NElle cause, doue si procederà essecutiuamente per virtù d'Instrumenti, ò altre Scritture, se vi serà il cōtradittorio si paghino l'infrascritte sportole, cioè.

Al Vic: b. vno per scudo purche non passi 5. scudi per qualsiuoglia somma, e non sia meno d'vn giulio per qualsiuoglia minima somma.

Al Cancelliero quattro quattrini per scudo purche non passi scudi quattro, e non sia meno d'vn giulio come sopra.

Ma do-

Ma doue non sarà il contradittorio si paghi à i sudetti lametà di quanto s'è tassato di sopra.

Et nelle sudette cause, quando si procederà senza contradittorio; s'intenda corso vn quarto della spesa quando serà dato il termine à pagare. Quando serà passato il termine s'intenda corsa l'ametà. Quando serà commesso il mandato essecutiuo, ò fatto il decreto diffinitiuo s'intenda corsa tutta.

Dichiarando, che per il detto quarto, ò metà, al Giudice non si dia meno di 5. baiocchi, & al notaro di mezzo grosso.

Ma nell' essecutiue, doue sarà il contradittorio si papaghi il terzo, quando sarà dato il termine sudetto, dui terzi, quando sarà passato il termine; & l'integro, quando sarà commesso il mandato, ò fatto il decreto, ò sentenza diffinitiua.

Nelle cause, quando il debitore domandarà il termine à pagare corra solo il quarto della spesa, ma non pagãdo nel termine corra tutta, nel modo però, che s'è ordinato di sopra.

Delle Cause ordinarie.

NElle cause ordinarie, doue si procederà in contradittorio seruatis seruandis si paghino l'infrascritte Sportole, e mercedi cioè.

Al Vicario due baiocchi per scudo, purche non passi la Sportola cinque scudi, per qualsiuoglia somma, & non sia meno di due giulij per qualsiuoglia somma: Ma se la causa non passa cinque scudi, non si paghi più d'vn giulio.

Al Cancelliero vn baiocchо, e mezzo per scudo,

purche non passi scudi quattro, e non sia meno di due carlini come di sopra, & nelle cause, che non passano cinque scudi si paghi solo vn giulio.

CÆlestinus inquā anno 1193. Viterbij degens, Episcopalem eius Cathedram, tunc vacantem, contulit Ioanni, qui Cardinalis tit. S. Clemētis anno 1189. à Clemente III. prædecessore creatus fuerat: vt Panuinius, & Ciaconus affirmant: Falluntur tamen asserendo illum eo tempore Viterbien. Episcopum fuisse. Nam si antè annum 1189. vsquè ad 1191. Gothifredus, & deindè anno 1192. Raynerius Episcopatum gerebant, vt supra demonstrauimus, non poterat vno, & eodem tempore, Episcopus esse Ioannes, qui vltra annū 1193. superstes, Viterbien. Antistes appellabatur. Fuit reuera Cardinalis electus anno 1189. à Clemente, & anno deinceps 1193. Episcopus à Cælestino, prædefuncto Raynerio; vt documenta nostra testantur. Nec istū primum extitisse huius Ciuitatis Episcopum, quemadmodum ijdem, & alij scriptores putarunt, ex probatis, ac ex antiquioribus Episcopis exhibitis, clarissimè patet. Cælestinus equidem Ioanni memorato, eiusque Episcopatui, eodem anno 1193. Tuscanensem, Bledanam, & Centumcellensem Ecclesias, eorum iam Episcopis destitutas, vniuit, & aggregauit: vt opportunè postea recensuit Cælestinus v. in bulla sua superius allegata. Quocirca sequenti anno 1194. in quadam Cælestini 3. bulla apud Moniales S. Mariæ in Campo Martio Vrbis, Ioannes ipse sic subscribitur. Ego Ioannes Cardinalis tit. S. Clementis Viterbien. & Tuscanen. Epi-

 scopus.

scopus. quod nomen Tuscanen. nusquam legitur antè vnionem anni 1193. in alijs Viterbien. Episcopis. Eadē Ioannis Subscriptio etiam videri potest in alia Innocētij 3. bulla apud Ecclesiam S. Mariæ ad Gradus huius Ciuitatis. Cæterum Cælestinus eodem anno Viterbio recessit. Ioannes autem Cardinalis, & Episcopus Ecclesiæ suæ regimen opere, & exemplo laudabiliter gerens, Innocentium 3. Pontificem Viterbij excepit; qui illo, & quatuordecim alijs Cardinalibus assistentibus, die prima decembris eiusdem anni Eclesiam S. Marci solenniter consecrauit vt indicat ibi tabula marmorea. In Natalitijs Innocentius Romam reuersus est; & sequenti anno absoluens Ioannem ipsum ab Episcopatu Viterbien. constituit eum Episcopum Albanensē, qui anno 1210. secundum Ciaconem obijt.

Raynerius II. Episcopus Viterbienses XI.

RAynerius huius nominis secundus Episcopus Viterbien. anno 1199. ab Innocentio post Ioannis absolutionem subrogatur. Cui Consules huius Ciuitatis, suo, & Viterbien. Episcopatus commodo, ac beneficio studentes, anno 1202. Castra Balneareæ, & Palensanæ ad eorū Cōmunitatem pleno iuretunc spectantia nomine publico donarūnt, atquè concesserunt. Donationis instrumentum cum bulla confirmationis Innocentij 3. in Cōmunis secretaria seruatur. Anno verò 1206. Kal. Iunij Raynerius consecrauit Tuscanellæ Altare S. Blasij in Ecclesia S. Petri. Memoriam ostentant illius Ciues, in qua Raynerius Tuscanensis Episcopus dumtaxat asseritur: studio fortasse scriptoris; quia Raynerius in documentis Viterbij, Viterbien. Episcopus appellatur.

pellatur. Tuſcanella ſanè poſt vnionem Cæleſtini 3. nullos obtinuit particulares Antiſtites, ſed cum Bleda, & Centumcellis Viterbienſem tantūmodo agnouit: ac ità præcipiendo declarauit Cæleſtinus v. in bulla ſua ſuperius enunciata. Verum de his alias differemus: nunc ad Raynerium redeamus, qui poſt cōſecrationem prædictam Viterbium properauit, vt Innocentium 3. Pontificem aduenientem exciperet. Hic reſidens Innocentius cū Cardinalibus ſuis Eccleſiam S. Angeli de Monte Foliano Viterbien. diœceſis ſub eius protectione ſuſcepit, ac plura bona, atquè priuilegia eidem conceſſit. Bulla deſuper Viterbij expedita die 27. Iunij eiuſdem anni 1206. ab ipſo Pōtifice, & Cardinalibus ſubſcripta inter huius Communitatis monimenta legitur. Eodem anno Romā redijt Innocentius. Raynerius autem anno 1208. nouem alijs finitimorum locorum Epiſcopis Tuſcanellam aduocatis, dedicauit ibi Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Caſtello nuncupatam. Innocentio Pontifici memorato obſequētiſſimus fuit, Viterbij præſertim anno 1209. dum hic pluribus diebus cum tota Curia permāſit. Sub idem tempus S. Franciſcus Aſiſien. vndiquè celeberrimus, Viterbium pertranſiens ſumma deuotione veneratur. Leo, & Moricus Iuuenes Viterbienſes Sancti hominis exemplo commoti eius veſtigia ſectantes inter electos ſocios ſuos, Coeliquè beatos aſcribi meruerunt, Epiſcopum Raynerium interea quaſdam Eccleſiaſticorum controuerſias componendi gratia, Cornetum acceſſiſſe conſtat: locus enim ille ſub Viterbien. diœceſi erat: vt inſinuauit quoquè Honorius Papa 3. in ſuo diplomate Laterani edito 6. Kal. Martij 1216. Pontificatus anno primo. Vixiſſe creditur Raynerium ad annum vſquè 1222. In aliquibus porrò donationū

instru-

instrumentis apud Archiuium huius Cathedralis sub annis 1220. e 1221. consensum suum præstitisse apparet. Anno vero 1222. Cælum extempore atra caligine per diem obumbratum circumcirca Ciuitatem Viterbij cruentos imbres effuxisse legitur. Quocirca Episcopus ipse vniuerso Clero, & populo suo conuocato solennem processionem egit, Diuinumquè præsidium implorauit. Euentus deindè patefecit prodigium: quoniam dira bella tum externa, tum ciuilia ingenti hominum, pecorumquè clade, sequentibus annis habuerunt Viterbienses. Externa potissimum cũ Romanis; Ciuilia ex domesticis dissidijs exorta sunt. In duas nempe factiones diuisi, feraciq. odio inter se se decertantes sæuas Ciuium cædes, domorum desolationes, deuastationes agrorum, & alia insani rancoris facinora tali furore perpetrarunt, vt domus ipsæ Dei, ne dum profana loca, fœdo cruore pollucrent. Quare eodem anno 1222. Episcopali huius Ciuitatis Sede, vt creditur, vacata, nullus Episcopus, aliusue Rector illius inter tot discrimina rerum reperitur vsque ad annum 1233. Quo ineunte Gregorius Papa nonus miserabili stastu Ciuitatis commotus duos suos de latere legatos Viterbiũ misit; Thomam scilicet Cardinalem de Capua tit. S. Sabinæ, & Raynaldũ Cardinalem Ostiẽsẽ. Qui diuturna bella Romanorum, & Viterbien. feruescentibus tunc armis, communi pace pacarunt, discordiasquè Ciuium composuerunt.

Nicolaus Episcopus Viterbiensis. XII.

GRegorius itaquè Pontifex, Viterbien. Ecclesiæ, solicitus eodẽm anno 1233. absoluto Nicolao Episcopo

ſcopo Caſtellano ab Sede ſua tranſtulit eum ad Viterbij cathedrã regendam: cuius tranſlationis bulla à Gregorio Anagniæ edita 2. Nonas Octobris Pontificatus anno 7. in Archiuio huius Cathedralis extat. Sed tamen Epiſcopus iſte, vel morte præuentus, vel priſtinæ illius Eccleſiæ reſtitutus Viterbij ſedem in anno vacantem reliquit.

Gregorius IX. Pontifex Viterbij reſidens. Cum Mattheo Epiſcopo XIII.

ANno igitur 1235. Epiſcopali Viterbienſi Cathedra vacante Gregorius Papa nonus Viterbium ſe contulit, vbi legatis Friderici ſecundi Imperatoris auditis Interamnam primum, inde Anagniam petijt, Romã redire vetitus à Petro Frangipane, qui Friderici partes ſectabatur, Viterbium reuerſus eſt, contra Imperatorẽ armato exercitu iturus. Hic itaquè reſidens de ſtatu Viterbienſis Eccleſiæ conſulturus, Mattheum Epiſcopum illi conſtituit; qui de mãdato Pontificis Epiſcopale Palatium nimis anguſtum ampliare deſiderãs, Hoſpitale inter illũ, & Cathedralẽ Eccleſiam collocatũ abſtulit, ac in Valle S. Antonij aliud ſimile cõſtruxit, mediante permutatione domorum inter ipſum, & Canonicos d. Cathedralis: vt patet ex Inſtrumento in eius Archiuio 14. Octobris eiuſdem anni 1235. Pontifex autem adhuc Viterbij degens excommunicationis ſententiam promulgauit contra Catharos, Patarenos, Paſſaginos, Ioſepinos, Arnoldiſtas, alioſq; Hæreticos, in bulla ſua nominatos, edita Viterbij 6. Idus Nouembris Pontificatus anno 9. Confirmauit inſuper Monialibus S. Mariæ Roſarum (nunc S. Roſæ) ordinẽ S. Damiani paulo ante

ſuſce-

ſuſceptum; ac illas regulæ S. Benedicti ſubiecit. Mandauitq. Mattheo Epiſcopo ſupra conſtituto, vt Moniales ipſas ab omni iuriſditione Epiſcopali tam temporali, quam Spirituali eximeret, & Sedi Apoſtolicæ immediate ſubiectas relinqueret; ſicq. Mattheus exequutus eſt. Priuilegium deſuper expeditum apud Moniales legitur die 14. xbris. eiuſdem anni 1235. In vigilia verò Natiuitatis Domini Gregorius Ildibrandinum nobilem Viterbien. Romanorum conſectaneum contra ipſum, rebellem declarauit; eiuſq. turrim funditus dexſtrui præcepit. Romam inde reuerſus eſt.

Idem Mattheus Epiſcopus.

MAttheus inquam Epiſcopus Viterbien. poſt Gregorij Pontificis diſceſſum ſuam rexit Eccleſiam. Præter geſta cum eodem Pontifice,& ſupra enunciata, nil aliud de ipſo Mattheo reperire potui. Anno quippe 1237.ineunte,Gregorius ipſe Viterbium rediens plures hic celebrauit functiones nulla de Mattheo mentione facta.Nempe nonis Aprilis bullam hic edidit de ſtigmatibus S. Franciſci,& 13.Kal. Iunij Bullam aliam de Prædicatione fidei,& Hæreticorum perſecutione. Romanos iterum, & Viterbienſes, arma ſibi mutuo inferentes, conciliauit.

Raynerius Capoccius Card. & Propontifex Viterbien. Epiſcopus. XIIII.

RAynerius Capoccius,Patria Viterbien. clara, Capocciorum familia genitus: Maiores enim ſui inter Viterbij nobiles primarios numerantur. Monaſti-

cam

cam Cistercienſium vitam elegit: qui doctrina, modeſtia, moribus, ac bonitate excellens, Abbas trium fontium conſtitutus eſt. Inde ab Innocentio 3. Decembris menſe 1212. Cardinalis tit. S. Mariæ in Coſmedin creatus, Sub Honorio 3. & Gregorio 9. Prouinciæ Patrimonij. Ducatus Spoletani, & Marchiæ Anconetanæ legatus, & Propõtifex fuit. Episc. Viterbien. ſede vacata, illá Gregorius Raynerio contulit; & curæ ſuæ commiſit. Palatium habuit Viterbij, vbi nunc Monaſterium Viſitationis eſt: in quo anno 1240. Fridericum 2. Imperatorem hoſpitatus eſt. Anno verò 1243. cemeterium S. Mariæ ad Gradus Viterbien. ordinis Prædicatorũ conſecrauit, vt memoria tradit. Quam quidem Eccleſiam ad honorem eiuſdem Virginis Deiparæ, à fundamentis extra Viterbij mœnia conſtruxerat, illamq. donauerat anno 1217. S. Dominico, Ord. Præd. Auctori, cui viuenti maxima familiaritate coniunctus erat. Hic etiã Eccleſias S. Petri de Caſtaneo, S. Mariæ de Paradiſo, & S. Martini in Mõtibus, ſuis ſumptibus erexit. Anno 1244. Viterbien. Eccleſiã, eiuſque Epiſcopatũ reſignauit; & anno 1252. Viterbij deceſſit, corpuſq. ſuum, ante altare eiuſdẽ Eccleſiæ S. Mariæ ad Gradus ſepultus fuit.

Scambius de Scambijs Epiſcopus XV.

SCambius nobili Scambiorum ſtirpe Viterbien. ortus, patriæ ſuæ Epiſcopus anno 1244. ab Innocentio 4. electus eſt. Ipſe ſub electi nomine vocatur ab Innocentio ipſo anno 1246. in bulla ſua. dicens. Dilectus filius noſter magiſter Scambius Viterbienſis electus, Et ita in alijs ſcriptis legitur. Tunc in deſertis Viterbij mõtibus ad tertium ferè lapidem Albus Eremita florebat,

Q vitæ

vitæ austeritate, morumquè Sanctitate celebris. In reposito quodam antro plerumquè degebat, ac orationibus, & vigilijs frequenter vacabat. Raynerij Capoccij Cardinalis Viterbien. coetaneus, atq. familiaris erat: cuius intuitu ab Innocentio Papa 4. Cardinalis, & ipse creatus est, die 24. Decembris 1244. vt legitur in Chronicis S. Mariæ ad Gradus huius Ciuitatis: vbi sepultus. Hunc etiam Viterbiensem fuisse fas est dicere; Lancellottus namque noster in Chronicis sub anno 1212. ait ea tempestate Viterbij Sanctum vixisse virum, nomine Album, qui Hospitalibus inseruiebat; & pænitentiam omnibus prædicabat. Verum prauis Ciuitatis moribus offensus vicinum montem ascendit, & ibi vitam eremiticam admodum iuuenis egit. Sub idem tempus eodem Innocentio Pontifice à Friderico Cæsare fugato cum Cardinalibus suis, Ciuitas Viterbij, quæ pro Apostolica Sede custodiebatur, ab Imperatoris exercitu obsessa, ob hostiles incursus, nefarias cædes, crebraquè incommoda, auxilij omnino destituta, viribusq. lassata, ac bello non modo, tunc imminente, verum etiam fame, atque peste plurimum oppressa, in calamitatibus suis, ineunte anno 1247. miserrime succubuit. Inopia nanque, morbo, & armis plerisque confossis tristes vndique audiebantur vlulatus, ac atræ mortis imagine videbantur. Illi vero, & quidem pauci, quibus exitialia mala pepercerunt, ciuitatem ipsam destituerunt: quorum non nulli in CastroPalensanæ ad secundum ferme lapidem, cum Scambio Episcopo, qui eos in tot, tantisquè miserijs consolabatur, tutati sunt, ac annonam hinc inde cõquisiuerunt: reliqui autem Vrbeueterem adiuerunt. Viterbio interim à Friderici exercitu capto, illoquè à cadaueribus expiato, ciues omnes ex-

torres ad reditum coacti, derelictas sedes eodem anno, adueniente vere, inhabitarunt. Præterea de Scambio Episcopo vltra annum 1251. nulla mentio: tunc enim 15. Kal. Iulij in publicis quibusdam actis Canonicorũ S. Mariæ Nouæ in Cathedralis Archiuio legitur decretum eius. Postero anno 1252. ex noua Successoris electione illum occubuisse credendum est. His temporibus floruit B. Soldanerius Viterbien. ord. S. Francisci, qui exactæ religionis erat, & pietate summa erga pauperes, atq; ægenos præstabat

Alferius Episcopus Viterbien. xvi.

ALferius ab Innocẽtio 4. ad sedẽ Viterbij Episcop. per obitũ Scãbij vacãtẽ, assũptus est. Eodẽ suæ assũptionis ãno Diœcesanã Synodũ Viterbij celebrauit, & nõ nullas sãciuit cõstitutiones, quas deinceps anno 1254. moderatus fuit. Plura Archiuij S. Laurẽtij, & Cõmunis Viterbii documẽta nomẽ eius recẽsent ad annũ vsque 1257. sequentibus vero annis Episcop. iurisditio aliquandiù tacuit. Nimirum Põtifices Viterbium Apostolicam Sedem transtulerunt: ibiq; consederunt; & oriente Sole stellas euanescere opere precium est. Paulo ante Albus Cardinalis antedictus hic obierat, & in Ecclesia S. Mariæ ad Gradus apud altare maius prope corpus Raynerij Cardinalis cõciuis sui sepultus fuerat.

Alexander IIII. Pontifex Viterbij residens.

ALexãder 4. Anagninus ex Comitibus Signiæ, Raynaldus Cardinalis Episcopus Ostiensis antea vocatus. Neapoli die Natiuitatis Domini, per obitum Innocentij 4. Sũmus Pontifex eligitur. Tumultuante subinde Italia ob factiones Ecclesiasticas, & Imperiales,

quas Guelfas, & Ghibellinas appellabant, Romanorumquè dissidia moleste ferens Anagniam se contulit: indè cum tota Curia Viterbium venit, anno 1257. Hic enim pro loci commoditate ad seditiones Italiæ componẽdas sedem habere statuerat. Palatium sibi elegit apud S. Franciscum, vbi nunc Cœnobium eiusdem ordinis est. Functiones autem suas in Cathedrali S. Laurẽtij Ecclesia plerumquè celebrabat. Plura enim Viterbij annis 1257. & 1258. gessit Alexander: vt bullæ testantur ibidem editæ. Ecclesiam præcipuè Sãctissimæ Trinitatis ordinis Eremitarũ S. Augustini, omnibus Cardinalibus suis assistentibus die 7. Ianuarij. 1258. Solenniter consecrauit. id porrò indicat lapidea tabula ad Ostiũ ipsius Ecclesiæ. Sexta vero die Martij Rosa Virgo Viterbiensis Sanctitate insignis, ac innumeris clara miraculis obdormiuit in Domino. Cuius corpus Põtifex, ne tumultus deuotionis causa fieret in populo, clam Sepelliri iussit. Vltima Dominica Aprilis Ecclesiã pariter S. Mariæ ad Gradus ordinis Prædicatorum S. Dominici extra moenia eiusdem Ciuitatis Viterbij consecrauit. Ante fores illius memoria in Tabella marmorea cernitur. Benignè itẽ erga Viterbienses agens exemit, & liberauit eosdem à solutione vectigalium apud Montemfisconem, & Portum Corneti: Extat bulla sua data Viterbij 18. Augusti 1258. In vltimo Consistorio hìc habito die 10. Septembris eiusdem anni quosdam fidei articulos declarauit, vt in suo diplomate legitur. Anagniam deinde petijt. Cum autem Palatium S. Francisci nimis à Cathedrali distaret, & angustũ esset, Raynerius Gattus Viterbien. generalis Capitaneus, Pontificum commoditati, ac patriæ splendori studens, Alexãdro absente, Episcopale Palatium amplificauit, & in de-

cẽtio-

cętiorem formam redegit: quod Palatium Papale dictũ fuit: vt in eius vestibulo lapidea tabula tradit. Absoluto noui operis ædificio, Alexander anno 1260. Viterbium cum tota Curia reuersus est; ibiquè residens Sacræ Virginis Rosæ Virerbiensis post decimũ octauum sui obitus mẽsem tres in matutinis visiones habuit. Cuius eloquio monitus, eius corpus ab æde S. Mariæ de Podio, die 4. Septembris eiusdem anni, ad sui nominis Monasterium, solenni pompa transtulit, ac Virginem ipsam, pluribus præcedentibus miraculis, sanctam esse, vniuerso astante Clero, & populo, declarauit. Anagniam postea Pontifex se contulit; & subeunte anno 1261. Viterbium remeauit: vbi die 25. Maij vita functus in Cathedrali Ecclesia sepellitur.

Vrbanus IIII. Pontifex Viterbij residens.

POst Alexandri obitum, Cardinalium, qui Viterbij aderant, discordia vltra tertium mensem noui Pastoris creationẽ protraxit. Venerat ad Curiã tẽporibus illis Iacobus Pantaleo Gallus, patria Trecensis Patriarcha Hierosolymitanus: cuius meritis moti Patres, vt eorum contentiones definirent, die 29. Augusti 1261. eũdem Pontificem elegerunt; qui Vrbanus 4. appellatus est. Quarta verò die septembris in Ecclesia S. Mariæ ad Gradus consecrationis munus suscepit. Mense Decembris eiusdem anni primam Vrbanus octo Cardinalium creationem Viterbij habuit. Gallos item prouocauit contra Manfredum Siciliæ Regem vniuersæ Italiæ infensum; illorumque exercitum duce Guidone Anthisiodorense Episcopo excepit, atquè benedixit. Michaelis Palæologi Constantino-

tinopolitani Imperatoris, natione Viterbiensis, Legatū hic etiam audiuit cum litteris Cæsareis, quæ Viterbij extant Dat. Byzantij V. Idus Februarij. 1262. Richardum Episcopum Cicestrensem die 19. eiusdem mensis in numero Sáctorum adscripsit. Bulla Canonizationis, in Cathedrali Viterbien. habitæ, legitur 10. Kal. Martij Pontificatus anno 1. Fratres ordinis Prædicatorum S. Dominici inquisitores, decimanona die Martij eiusdē anni elegit: vt in litteris Dat. Viterbij 13. Kal. Aprilis. Subinde Pontifex secunda Cardinalium creatione hic habita, & Philippo ord. Prædicatorum Episcopo Viterbien. designato, Manfredi potentiam pertimescēs Vrbemueterem adijt; postmodū verò Perusiam se contulit: vbi sexto nonas Octobris 1264. vita functus est. Cuius loco Guido Grossus Gallus, patria Narbonensis, Cardinalis Episcopus Sabinen. licet absens eligitur, die 5. Februarij 1265. Erat enim in Anglia Sedis Apostolicæ legatus. Cardinales autem misso ad eum nuncio Viterbium accesserunt.

Clemens IIII. Pontifex Viterbij Residens. Cum Philippo Episcopo XVII.

GVido inquā Card. Sabinen. Clemēs 4. vocatus ex Anglia rediens in itinere nunciū suæ assūptionis accepit: de Māfredi insidijs veritus, religiosi mendicātis habitu indutus clam Perusiam venit. Re cognita Cardinales illuc properarunt, ac honorificè Viterbium adduxerunt: vbi die 24. Februarij eiusdem anni 1265. cōsecrationis insignia recepit. Vir profectò fuit religione, pietate, sanctisq; moribus omninò laudandus: Viterbii sæpius conciones habebat, populumquè in fide catho-

lica.

fica confirmabat. Carolum Hierusalem, & Siciliæ Regem, Romæ paulo ante à Cardinalibus legatis coronatum, hic excepit, Bullæ ab eodem Pontifice Viterbij emanatæ annis 1265. & 1266. gesta sua probát: postero verò anno 7. kal. Aprilis Pontificatus III. vt in eius litteris legitur, Heduuigem Poloniæ Ducissã multis miraculis illustrem in Ecclesia S. Mariæ ad Gradus Viterbien. solenniter in Cathalogo Sanctorum retulit. Stephanum Vngarum Cardinalem Prænestinũ Viterbij sub Clemente decessisse constat; ac vnicum tantũmodo Cardinalem Pontificem ipsum ibidem creasse Cathalogus Cassinensium docet, Bernardum Silicet Aiglerium Gallum eiusdem ordinis Abbatem, à Ciacone pretermissum. Temporibus illis S. Thomas Aquinas, ordinis Prædicatorum stella fulgens, atq. Christianæ Reipublicæ splendor, Pontificis mandato conciones publicas vniuerso populo Viterbien. habuit in platea S. Mariæ Nouæ: vbi suggestum adhuc lapideum estat. Nõ nulla alia Clementem Viterbij egisse, tum diplomata, tùm monumenta tradunt. Anno demum 1268. mense Septembris, die siquidem illa, qua Carolus Siciliæ Rex Sedis Apostolicæ rebelles deuicit, dum in Cathedrali S. Laurentij Viterbien. Ecclesia Pontifex concionaretur, estasi raptus, Diuinoque Spiritu afflatus, exclamauit, Ecclesiæ hostes cæsos, fugatosq. fuisse. Die autem 28. Nouembris eiusdem anni in Domino, mundanis curis solutus, occubuit; & in prædicta S. Laurentij Ecclesia tumulatus est, corpus verò suum alio translatum videbimus. Cæterũ de Philippo Viterbien. Episcopo (Clemente ipso sedente) nil memoratu dignum tenemus: legitur nomen eius dumtaxat anno 1267. in quadam Fratelli sui Vicarij Sententia, & anno 1267. in

litteris

litteris Prioris, & Capituli S. Mariæ Nouæ. Post Clemẽtis ergo obitum decem & nouem Cardinales tunc viuentes Viterbij aderant. Sede interim vacante Iordanus Piruntus Cardinalis de Comitibus Tertacinen. moritur: cæteri decem & octo nimium inter se discordes, noui Pontificis electionem ad nonum vsque mensem supra biennium protraxerunt. Non dum enim Conclauis vsus inualuerat: porrò Cardinales Viterbij (vt alibi quoquè consueuerant) in Cathedrali Ecclesia summo manè cõueniebant, & comitijs peractis ad eorum domicilia reuertebantur: ità quoquè Panuinius, & Ciaconus tradunt. Cum igitur anno 1270. die 25. Maij post decimum septimum vacationis mensem Cardinales ipsi, vna cum Philippo Galliæ, & Carolo Siciliæ Regibus, Guidone Montisfortis Comite, aliisq; Principibus, qui paulo ante Viterbium venerant, vt noui Pontificis electionem accelerarẽt, in eadem Cathedrali S. Laurentij Ecclesia conuenissent, Sacrumq; solenne celebraretur, Guido Montis fortis, diabolico spiritu ductus, in eleuatione Sãctissimæ Eucharistiæ, ense sacrilego euaginato, Henricũ Cornubiæ Comitem, Henrici Regis Angliæ nepotem, qui & ipse reperiebatur in Curia, horribile dictu, transfixit, trucidauit, ac in columis euasit. Tali, tantoquè execrabili scelere permoti Reges Viterbio recesserunt, & ad propria reuersi sunt. Cardinales quoquè rebus infectis abire cogitabant: Viterbienses autẽ suasu S. Bonauenturæ, qui tunc ibi degebat, duce Raynerio Gatto, Ciuitatis portis obseratis, & Cardinalibus ipsis in Põtificium Palatium propè Cathedralem vt dicebatur, constructum, adductis, omnes ibidem die Pẽtecostes incluserunt: Sicq; Conclauis originem traxit, vt Panuinius etiam cum Ciacono affirmat. Ioannes interea

terea

terea Franciogia Card.Episc.Portuensis,qui nouũ Monasterium apud Ecclesiam S. Mariæ de Paradiso extra Viterbij moenia iã erexerat, in Cõclaui existẽs,Moniales ord.Cistercien.primo loco introducendas nominauit, & litteras emanauit. Cæterum Raynerius Gattus Viterbij primarius Conclauis custos erat, ac alimenta necessaria Patribus quotidiè subministrabat. Qui peruicaciores nihilominus facti ad alios sexdecim menses electionem prorogarunt:quamuis Palatij eiusdem Cõclauis tectum Viterbienses iussu Raynerij detexerint:vt incommodo, ac tædio affecti electionem ipsam accellerarent.Edoctus fortasse Raynerius à Ioanne Cardinale Portuen; qui vt Papirius Massouius, & Panuinius referunt, ad sociorum discordiam exprobrãdam Palatiũ, in quo electio fieri debebat, tecto, & lateribus nudandum prædicabat.Quod sanè fabulosum atq. commentitiũ non nulli existimarunt:sed vt veritas ipsa patescat, eiusdem Cõclauis diploma, Henricum inde Cardinalẽ Ostiensem infirmitate grauatum extrahendi gratia editum, & in huius Communitatis secretaria seruatum, ad verbum registrare libuit.

Videat Ciacci in Hiero lexico v. conclave.

Nos miseratione Diuina Episcopi Presbiteri, & Diaconi Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Infirmitati Venerabilis Fratris nostri H. Ostiensis, & Velletren. Episcopi fraterno compatientes affectu, vobis Alberto de Monte Bono Potestati, & Raynerio Gatto, qui pro Capitaneo Viterbien. te geris, & Communi Viterbien. tenore præsentium, sub debito fidelitatis, quo nobis, & Ecclesiæ Romanæ tenemini, districtè præcipiẽdo mandamus, quatenus cum ide Episcopus iuri, & voti sibi competentibus in electione Romani Pontificis renunciauerit coram nobis quantum ad præsentem vacationem dum taxat, volens, vt non obstante eius absentia, finè ipso hac vice liberè procedamus, ad prouidendum Romanæ Ecclesiæ de Pastore, ratam habiturus, & gratam electionem seù prouisionem, quam

R de

de Romano Pontifice absque ipso, & eius requisitione duxerimus faciendam, ac instanter petierit vobis mandari, vt de Palatio, in quo sumus inclusi, ipsum permitteretis exire, eumdem Episcopum de ipso Palatio statim egredi libere permittatis, nec ipsum de cætero aliquatenus detineatis inuitum. Datũ Viterbij in Palatio discooperto Episcopatus Viterbien. 6. Idus Iunij. Anno Domini M.CC.LXX. Apostolica Sede vacante.

† † † † † † † † † † † † † † † † †

Sigilla decem, & septẽ appensa in diplomate videntur, & totidem in Conclaui adfuisse Cardinales, Ciaconus ac alij tradunt: sedtamen, Henrico Cardinali Ostiense grauiter ægrotante, sigillum eius haud extitisse crediderim: cum decem & octo Cardinales documenta nostra supputent; inter quos Ciaconus Bernardum Aiglerium Abbatem Cassinensem non recensuit, à Clemente 4. creatũ, vt antea dicebatur, qui ad annum vsque 1282. superuixit: ex Cathalogo sui ordinis. Raynerius Gattus interea Conclauis custos diuturnam Cardinalium pertinaciam non sine Christianæ Reipublicæ detrimento expertus, ac totius Curiæ querelis coactus, quotidianũ alimentum ità demit, vt infra triduum præuio compromisso inter eos inito, Thealdũ de Vicecomitibus Placẽtinum Archidiaconum Leodiensem, extra eorumdem Patrum numerum, & tunc in Syria pro Christi fide cõmorantem, die prima septembris 1271. Pontificem creauerint, & per nuncios Viterbium aduocauerint.

Gregorius X. Pontifex Viterbij residens Cum Philippo Episcopo.

GRegorius itaq. summus Põtifex electus, eiusq. electionis nuncio accepto, ex Syria nauigio recedens, Viterbium tandem appulit, Cardinales, Clerum,

atq.

atq. Prætorē cū Magiſtratibus, & Ciuibus obuiam ad ſextum ferè lapidem habuit, à quibus mirificè comitatus 4 idus Februarij 1272. Ciuitatē ipſam tryumphans ingreſſus eſt. De Vaticano tot annis Paſtore ſuo orbato ſummopere ſolicitus, ibi conſecrari voluit. Quapropter S.Gregorij feſto Viterbij ſolenniter celebrato; rebuſq. Ciuitatis compoſitis, Romam acceſſit, & die 24. Martij cōſecrationis inſignia in Baſilica S. Petri ſuſcepit. Viterbium poſtmodum redijt. Ad Concilium deinceps in Galliam, quod Lugduni indixerat, iturus, hinc abijt. Philippus interea Præſul Viterbienſis, poſt Gregorij Pontificis receſſum, Epiſcopatum piè geſſit. Anno ſanè 1274. grauiter ægrotante in Caſtro Vici, tunc Viterbien. diæceſis, Petro Vichio Vrbis Præfecto, qui ob multa facinora contra Sedem Apoſtolicā, eiuſq. ſtatum perpetrata, damnatus, ac anathematizatus fuerat, Philippus eumdem in mortis articulo conſtitutum, paterna dilectione viſitauit, & de illius ſalute cupidus, præuia confeſſione, à Ioanne Archiepiſcopo Barenſe hic degente audita, abſoluit. Concilio demum Lugdunenſi reſoluto, Gregorius Viterbium reuerſurus in Italiam aduentauit: cum autem Aretium perueniſſet, ibi lethali morbo correptus interijt 3. Idus Ianuarij 1278. Aretij Petrus Ord. Præd. Cardinalis Oſtienſis Pontifex ſubrogatus eſt, ac Innocentius V. appellatus. Viterbium inde venit; cui Philippus Epiſcopus controuerſiam retulit, tempore mortis Clementis 4. exortam, & inde prorſus exaſperatam, inter Canonicos Cathedralis, & fratres S. Mariæ ad Gradus Ord. S. Dominici. Cū enim Clemētis corpus in dicta Cathedrali repoſitum fuiſſet, fratres Dominicani in eorum Eccleſia ſepelliēdum eſſe prætendebant. Innocentius maxima partium alterca-

tione confusus, iudicium distulit, & Romam perrexit: vbi ...., ad fauorem fratrum sententiam protulit. Corpus igitur Clementis ad Aedem prædictam Gradensem solenniter translatum fuit. Vbi paulo post comitia generalia totius ordinis celebrata fuere.

Adrianus v. Pontifex Viterbij Residens. Cum eodem Philippo Episcopo.

INnocẽtio Romæ prædefuncto, Othobonus Genuensis Flisca nobili familia ortus, Innocẽtij 4. nepos, & S. Adriani Cardinalis, Pontifex 4. Idus Iulij 1276. deligitur, ac ex tituli sui nomine Adrianus V. vocatur. Viterbium illico insignia consecrationis suscepturus cũ tota Curia profectus est. De Caroli Siciliæ Regis, ac Vrbis senatoris incõstãtia veritus, nuncios ad Rodulphum Imperatorem misit, ac illum in Italiam prouocauit. Magna se facturum pollicebatur, verum die 17. Augusti eiusdem anni, ante suum consecrationis munus Viterbij moritur, & in Ecclesia min. conuent. S. Francisci Sepellitur. Illic enim monumentum suum cum epitaphio patet.

Ioannes xxi. Pontifex Viterbij residens. Cum Philippo Episcopo.

POst Adriani obitum Cardinales Comitijs in Conclaui habitis quinto vacationis die supra vigesimũ. 12. Septembris 1276. Ioannem Petrum Hispanum, patria Vlyssiponẽsem ex Prouincia Lusitaniæ totius Christiani gregis Pastorem crearunt; qui Ioannis 21. nomen

adeptus est; & 21. Kal. Octobris corona, sacrisq. insignibus Pontificijs in Cathedrali S. Laurentij Ecclesia exornatus. Legatos misit ad Palæologum Imperatorem Cõstantinopolitanum, vt pro missa in Lugdunensi Cõcilio seruaret, ac ad Reges Orientales, vt pacem inter eos contraherent, & contra saracenos arma pararent. Vicedominus interea de Vicedominis Placẽtinus Ord. min. S. Frãcisci Cardinalis Episcopus Prænestinus obijt, & in Ecclesia eiusdem ordinis tumulatus est. Paulo post Simon Paltinerius Cardinalis S. Siluestri, & Martini diem pariter suum clausit extremum: cuius corpus in Ecclesia Cathedrali repositum fuit. Subinde Ioannes Pontifex nouum in Pontificali Viterbien. Palatio cubiculum construxit; & cum in eo dormiret, recentis cõtignationis repentina ruina oppressus, ac inde semiuius subutractus in septimo die, nempe 19. Maij 1277. Octauo sui Pontificatus mense occubuit; cuius tumulus cum epithaphio in Cathedrali Ecclesia cernitur.

Nicolaus 3. Pontifex Viterbij residens. Cum eodem Philippo Episcopo.

PAtrum contentio mortuo Ioanne nouam successoris electionem ad sextum vsquè mensem, & vltra protraxit. Nimirum illi Conclauis forma posposita liberi extitere. Quare Viterbiẽses accersito Carolo Siciliæ Rege, eius ope freti Cardinales in Conclaui de more incluserunt. Ità demum Ioannes Cardinalis Vrsinus Romanus Põtifex creatus, & Nicolaus 3. vocatus est, die 25. mensis Nouembris 1277. Romæ consecrari cupidus cõfestim illuc accessit: sequenti verò anno 1278. Viterbium reuersus Vrsum eius nepotẽ Ciuitatis Prætorem

tòrem instituit, ac oratores Bononiæ audiuit, qui eandē Ciuitatem Apostolicæ Sedi subiecerunt. Instrumenti exemplum habemus. In Consistorio hic habito Euangelium Iudæis ad eorum conuersionem prædicari præcepit; & bullam edidit 3. nonas Nouembris anno 1. Pontificatus. Castrum In Monte Zuriano, tunc temporis Viterbien. comitatus, & diæcesis, ad septimum lapidem, quod nunc, variato vocabulo, Sorianum dicitur reformauit, ac arcem munitissimā ibi extruxit, nepotibusq. suis concessit: ædemque Sanctissimæ Trinitatis in proximo Luco erexit, ac illam Conuentui eiusdem nominis Viterbien. Ordinis S. Augustini subiecit. Præterea subeunte anno 1279. controuersia exorta est inter incolas Comitatus extra portam S. Sixti eiusdē Ciuitatis, & Parrochum ipsius Ecclesiæ, cui obedire denegarunt incolæ, & ad Pontificem recursum habuere. Philippus autem Episcopus Pontificis auctoritate illos Parrochiæ subiectos declarauit. Nicolaus inde amænitate Soriani; eiusquè aeris salubritate allectus, āno 1280. æstiuo tempore Viterbio illuc se contulit: ibiquè repētina morte correptus interijt. Corpus suum Romam translatum fuit. Eo defuncto, decessit pariter Viterbij Rubertus Kiluuarbius Anglus ordinis Prædicatorum Archiepiscopus Cantauriensis Cardinalis Portuēsis, & in Ecclesia S. Mariæ ad Gradus sui ordinis sepultus est. Cardinales tresdecim ergo, Sede vacante, Viterbij aderant: Comitijs in Conclaui habitis, graue inter eos dissidium exoritur, ob Vrsinorum, & Anibaldensium factiones. Assistente tunc Viterbij Carolo Siciliæ Rege, Richardus Anibaldensis Conclauis custos erat. Florebat eò tempore Ioannes Verreschius Viterbien. nobili Familia genitus, ordinis Prædicatorum S.

Dominici Magister, doctrina, virtutibus, ac vitæ Sanctitate nemine inferior habitus. Anno 1261. in Comitijs Bononiæ celebratis pro generalis Magistri electione, hoc principale suæ religionis munus miraculose obtinuit. Postmodum vero à Nicolao 3. Pontifice vnà cum Hieronimo Asculano generali Ministro ordinis S.Francisci,ad Reges Francorum,& Castellæ pacãdos ablegatus in Patriarcha Hierosolymitanus eligitur. Ciaconus Ioannis patriam prætermittit: immo primo Ioannem, deindè Petrum de Parma ãnotat: Andreas verò Victorellus in additionibus, Ciaconem corrigendo, Ioannem Vercellensem vocat. Ioannem quippè tunc temporis ordinis Prædicatorum Magistrum generalem,Legatum vt supra missum à Nicolao Põtifice, & Patriarcham Hierosolymitanum electum, ex Chronicis S. Mariæ ad Gradus Viterbij, ac ex eiusdem Ciuitatis documentis,Viterbiensem fuisse constat. Abrahamus item Bzouius Polonus in Annalibus Ecclesiasticis tom. 13. fol. 840. Ioannem istum Episcopum Vercellensem, patria verò Viterbiensem declarat. Allegat, & sequitur Leandrum Hist.lib.2.& Platum,siuè Platonem dicas, in Annalibus Prædicatorum lib. 2. cap. 28. Cardinales ergo in Conclaui,vt præmittitur existentes,post longum dissidium, virtutum, sanctorumquè morum huius Ioannis nostri Viterbiensis haud immemores,anno 1280. mense Nouembris Pontificem quamuis absentem deligerunt, & Viterbium per nuncios aduocarunt.Re cognita Ioannes ad tantum se munus gerendũ imbecillem existimans, dum Diuinæ vocationi pro viribus obtemperare cogitat, ob grauem concepti moeroris appræhensionem,intempestiua morte præuentus excessit. Hæc ex allegatis documentis,ac ex Bzouio, &

alijs

Petrus Capoccius Episcopus XVIII.

PEtrus Capoccius Viterbien. patriæ suæ Episcopus Philippo sub Honorio 4. successit. Vicarium generalem anno 1288. ab eo constitutum fuisse patet in Archiuio Cathedralis; qui permutationi Castri Turrenæ Viterbien. diœcesis inter Canonicos, & Capitulũ S. Stephani, ac Pandulphum Capocciũ eius affinem factæ, consensit. Xenodochium Charitatis ad commodum nationis Armenæ ãno 1290. erexit Episcopus iste propè Ecclesiam S. Ioannis in Cioccola; primumque Priorem illius fratrem Guglielmum Armenum elegit. Anno vero 1294. Clerus, & Populus Tuscanẽsis, licet eorum Ecclesia Episcopatui Viterbien. aggregata fuerit à Cælestino 3. vt alias diximus, nihilominus ab ipso Petro Episcopo desciuerunt; sibique obtemperare denegarunt. Quarè Cælestinus Papa V. Rectori tunc Patrimonij literas suas Apost. trãsmisit: vt eius mãdato dictæ vnioni parerent, & Viterbien Episcopo memorato obedirent. Dat. Theate 10. Kal Nouembris Pont. an. 1. Huius Episcopi temporibus ineunte anno 1303. apud põtem Camillarium, S. Valentini nuncupatũ ad primũ lapidẽ extra Ciuitatẽ, Sanctorũ Martyrum Valentini, & Hilarij corpora in vrna marmorea, quorum memoria in antiqui tẽpli ruinis pluriũ annorũ curriculo intercepta erat, summa cum lœtitia reperta, & die 24. Ianuarij eiusdem anni solenni pompa ad Aedem Cathedralem translata fuerunt ab antedicto Episcopo, vniuerso tum vrbis, tum finitimorum locorum cõfluente popolo. Illi enim sub Maximiano Imperatore à Demetrio Procõsule, anno salutis 306. hic martyrij coronam obtinue-

runt. Paulo poſt ſub anno 1309. Beatus Antonius Viterbiēſis ordinis ſeruorum ſpectatiſſimæ doctrinæ, atq. ſanctitatis moriendo vitā æternam aſſequutus eſt; multiſq. miraculis claruit. Petrum autem Epiſcopum ex documentis Archiuij S. Laurentij ad annum vſque 1313. vixiſſe creditur.

Ioannes Epiſcopus Viterbien. xix.

IOannes iſte Cameræ Apoſtolicæ Clericus, & S. Petri in Vaticano Canonicus tempore Petri Epiſcopi memorati erat; eo verò prædefuncto à Clemente Papa V. Succeſſor illius declaratus fuit. In Archiuio S. Laurentij quædam illius parui momenti geſta narrantur. Documenta autem Communitatis noſtræ maiora indicant. Cum enim tota fere Tuſcia ab Apoſtolica Sede, Clemente ipſo Pontifice mox vita functo, defeciſſet, & Bernardus de Cucinnaco eiuſdem Sedis Vicarium, armato milite apud Montemfiſconem obſediſſet, vt eū perderet, Viterbienſes in fide conſtantes à Ioanne eorum Antiſtite excitati contra rebelles aperto Marte irruerunt; illiſq: cæſis, atq: fugatis, ac eodem Bernardo liberato, Vexillum Apoſtolicum Anno 1316. tamquam Eccleſiæ fideles conſequuti ſunt. Ioannes autem Epiſcopus anno 1318. Cathedrā ſuam, Pōtifici reſignauit.

Angelus Tineoſus Epiſcopus xx.

ANgelus Tineoſus, non Viterbienſis, vt aliqui putarunt; ſed Romanus (familia enim Tineoſa, & Romæ, & Viterbij vigebat) eodem anno 1318. poſt Ioannis præceſſoris reſignationem, à Ioanne 22. Pontifice Epiſcopus electus eſt. Primo eius aduentu Ciuitatem

tatem ipſam Viterbij, ob inteſtina odia, ciuileſq. contentiones, nefandis cladibus, cunctiſq. nequitijs coinquinatam eſſe cognouit. Bonus ergo Paſtor pro communi ſibi commiſſi gregis quiete, & ſalute, omni pietate, ac ſtudio elaborauit; & cum ſe parum proficere videret, quid conſilij caperet ignorabat. Verum anno 1320. horribile portẽtum Viterbij viſum eſt. Nocturno enim tempore in Pentecoſtem coruorum agmina circumuolitaſſe, ac Ciuitatem ipſam ſubuertere velle humana voce expreſſiſſe dicitur. Ad Sacram glorioſiſſimæ Virginis Mariæ imaginem in Eccleſiam Sanctiſſimæ Trinitatis vniuerſus populus contrito corde confugit; & illico ab infernalibus præſtigijs liberatus eſt. Tantorum beneficiorum nunquam immemores Viterbienſes Ciuitatem argẽteam ad eamdem ſacroſanctam imaginem ſolenni proceſſione detulerunt; quam quidem commemorationem quotannis votiua lege peragunt. Cæterum Angelus Epiſcopus duas diæceſanas Synodos celebrauit, vnam Corneti anno 1320. alterã Viterbij in Pentecoſtem 1323. Verum quia doctrina, atque prudentia plurimum pollebat, ac in rebus agendis haud ignarus erat, à Ioanne Pontifice, tunc Auenione degente, Vicarius Apoſtolicus in Italia cõſtituitur, & miraculorum etiam Diui Thomæ Aquinatis Inquiſitor vnà cum Archiepiſcopo Neapoletano, eodem anno 1323. declaratur. Poſt hæc autem cum Silueſter Gattus nobilis Viterbienſis patriæ dominium affettaret, tumultuante populo ex illa eiectus eſt. Ghibellinorum proindè potentia fretus, vi, & armis Ciuitatem ipſam expugnauit, ac cæſis, fugatiſq. Guelfis Eccleſiaſticis, tyrannus eius efficitur. Angelus Antiſtes, ac Apoſtolicus Vicarius, Romæ tum agens, eumdem Eccleſiæ rebellẽ

resque ordinationes habuit. Pandulphum Capoccium præcipuè, qui partes eius sectabatur, PseudoCardinalem, & Episcopum Viterbien. Angelo Tineoso abrogato, designauit. Omnes Ecclesiasticos Ioannis 22. fautores exauctorauit, & à piorum communione secreuit, ac alijs sibi deuotis, eorum beneficia contulit. Silueſtrum Gattum patriæ ducem instituit. Pisas inde petijt.

Pandulphus Capoccius PseudoCardinalis, & Episcopus Viterbien.

PAndulphus itaq. Capoccius PseudoCardinalis, & Apostaticus Episcopus Viterbien. Angeli Tineosi Sedem iniquè detinens, post Antipapæ discessum, munus perperam sibi collatum, pro suo iure gerebat. Die 10. Septembris 1328. contra Cathedralis Ecclesiæ Archipresbiterum ad aliorum Presbiterorum instantiam sententiam suam protulisse legitur in Archiuio S. Laurentij. Ioannes interea 22. Legitimus Pontifex tam Ludouicum Bauarum cum Antipapa suo, quam Siluestrũ Gattum cum Pandulpho PseudoEpiscopo, ac Ciuitatẽ ipsam Viterbij, tot sceleribus, violenter quamuis, coinquinatam, interdicto, & anathemate damnauit. Nouo subeunte anno 1329. IoannesCaietanus Cardinalis Vrsinus Apostolicæ Sedis Legatus, traducto contra Viterbium exercitu, Siluestrum tyrannum obsedit. Viterbienses tumultu cõcitato duce Fatiolo Vichio Manfredi Vrbis Præfecti naturali filio tyrannum ipsum obtruncarũt, & Ciuitatem Apostolico Legato dediderũt. Quam demum Legatus cum Angelo Tineoso Antistite mense Nouembris ingressus, Pandulphum Pseudo Cardinalem

dinalem ac intrusum Episcopum in carceribus detrudi mandauit, qui propediem moerore oppressus interijt. Subsequenter Ioannes Pontifex ineunte anno 1330. generalissimæ absolutionis bullam Viterbiensibus concessit. Dat. Auenione 15. Kal. Martij Pontificatus anno 9. Ex qua præmissa omnia ferè habuimus.

Angelus Tineosus antedictus Episcopus.

ANgelus ergo Tineosus, schisma sublato, Episcopalem Viterbij Sedem reassumpsit, & plura eodem anno, cum sequentibus gessisse legitur in Archiuio S. Laurentij. Ipso absente, & præpedito, Laurentius Viterbiensis Ord. Præd. S. Dominici Episcopus Ciuitatensis, Viterbij degens, duas præcipuè ordinationes habuit; vnam scilicet 28. Februarij anno 1333. alteram 29. Septembris 1338. Angelus autem anno 1343. die 7. Septembris Romæ obijt, & in Ecclesia diuæ Mariæ supra Mineruam tumulatus est.

Bernardus de Lacu Episcopus XI.

BErnardus de Lacu Gallus Canonicus Ruthenensis anno 1341. tempore Benedicti Papæ 12. Prouinciæ Patrimonij pro S. Romana Ecclesia Rector, & Capitaneus generalis constitutus fuit: Viterbij in Palatio S. Sixti residebat, ac vniuersæ Prouinciæ ius, & iustitiam administrabat. Angelo Tineoso prædefuncto, Viterbiensis Episcopus quoquè sufficitur, & die 29. Iunij 1344. Castellanum Arcis Orchiæ Viterbien. ditionis, & diæcesis constituens, in patentibus litteris suis, Rector, & Episcopus nominatur. Ex eius gestis vsquè ad annum

annum 1347. eum vixisse tenemus. Decessit enim paulo ante mensem Decembris.

Oddo de Oddonibus Viterbien. Proepiscopus.

EPiscopali Sede propter obitum Bernardi vacante, ac antiqua Archipresbiteri Cathedralis Viterbien. facultate abdicata, maxima in Clero contentio exorta est circa Vicarij Capitularis electionem, qui ad nouam vsque creationem Episcopi vices gereret tandem huius Ciuitatis Canonici Oddone de Oddonibus Viterbien. Primicerio Tuscanellæ accersito, illum Proepiscopum, generalemquè Vicarium constituerunt. Viterbij residens die 4. Decembris 1347. auctoritatem, atq. decretum Instrumento procurationis Cleri coram eo congregati, interposuit. Die verò 27. Iunij 1348. præcepit Priori Ecclesiæ S. Stephani Viterbien. vt constitutiones Episcopales iuramento suo vallatas, sub excommunicationis pœna seruaret. Et paulo post Cappellanũ S. Catharinæ de Vetralla huius diæcesis ab illius patrono præsentatum, instituit atquè confirmauit. Die autem 19. octobris eiusdem anni 1348. Priori S. Stephani antedicto conciones publicas imposuit.

Ioannes Episcopus. XXII.

IOannes Episcopus Viterbien. prædicto mẽse Octobris exeunte designatus, dum Episcopatum adire cupit, diutino morbo præuentus, infra mensem Romæ moritur.

Petrus

At āno 1354. Aegidius Cardinalis Sabinen. Sedis Apostolicæ legatus, Præfecto debellato, Viterbium Ecclesiæ restituit. Nicolaus interea in oppido Mōtis Alti degens anno 1356. die 20. Maij, vniuerso suæ diæcesis Clero congregato, Synodum ibi celebrauit; cuius constitutiones adhuc estant. Huius Episcopi temporibus, Aegidij Cardinalis legati auctoritate freti Viterbiēses, Castrum Vici Præfectorum Vrbis, aliorumquè Ecclesiæ rebellium asylum, ferro, atq. flammis expugnarunt, & penitus diruerūt. Claruit quoquè Marcus Viterbiensis ordin. min. conuent. S. Francisci, Theologus insignis, doctrina, facundia, atq. prudentia eximius, generalis eius ordinis Minister electus, ac de Apostolica Sede optimè meritus, ab Vrbano V. Pontificè Cardinalis tit. S. Praxedis die 17. Decembris 1366. Auenione creatus est. Nunciatum interim fuit Vrbanum ipsum in Italiam venturum, Consules Viterbienses propterea inito consilio cum Nicolao eorum Episcopo oratores Auenionē mittunt, vt Pontifex Viterbium, aliorum Pontificum prædecessorum sedem, adire dignaretur. Precibus benignè annuit Vrbanus; litterasq; suas respōsiuas in forma bullæ transmisit sub plumbo Montis Pessulani editas 13. Kal. Februarj Pontificatus anno V. quæ in secretaria Communitatis nostræ seruantur. Fallūtur igitur Platina, Ciaconus, & alij pleriq. Chronographi, qui Vrbanum V. anno 4. sui Pontificatus in Italiam venisse, & Cornetum primū, ac inde Romam accessisse. Die 13. Kal. Februarij anno V. Pontificatus, qui fuit 1367. ad huc Montis Pessulani in Gallia erat; bulla enim sua mētiri non potest. Vrbanus reuera ex Gallia soluens, anno 1367. die 3. Iunij cum Cardinalibus suis Cornetum applicuit. Aegidius Cardinalis legatus, qui Viterbij

tunc agebat ad eum illico se contulit. Octaua vero die eiusdem mensis Pontifex ipse recto tramite Viterbium accessit: Ita Nicolaus Cobellutius, qui ea viuebat ætate in Chronicis suis affirmat: id habent quoquè regesta, ac documenta nostra: quibus Ciprianus Manentis Vrbeuetanus cum annalibus suis astipulatur.

Vrbanus V. Pontifex Viterbij residens. Cum Nicolao Episcopo.

VRbanus inquam Pontifex Corneto Viterbium aduenìens, Nicolaum Episcopum cum vniuerso Clero, & populo, obuiam habuit. Solenniter die 8. Iunij 1367. Ciuitatem ingressus, in Arce consedit. De cuius aduentu certior factus B. Ioannes Columbinus, qui paulo ante ordinem fratrum Iesuatorum Senis inchoauerat, accusatus de hæresi Viterbiū, vt se ipsum excusaret cum discipulis suis, ad pedes Pontificis venit. Infantes omnes in ipso Ciuitatis ingressu, quamuis eloquij impotes, miraculosè tamen, Diuinitus inspirati, virum sanctum prædicabant, eiusq. puritatem patefaciebant. Die 24. Iunij in festo S. Ioannis Baptistæ Pontifex sacrum solenne in Cathedrali Ecclesia celebrauit; & ibi Columbini innocentiam, atq. pietatem expertus, eum suosquè discipulos, peracta professione, religiosis vestibus induit. Ita quoquè Paulus Morigius affirmat in Histor: Religionis. Aegidius præterea Cardinalis Italiæ legatus, suæ legationis rationem Pontifici reddidit: inde die 24. Augusti è vita migrauit: Cuius corpus Asisium translatum fuit. Die verò 5. Septembris eiusdem anni adhuc Pontifice Viterbij residente, maximus repentè tumultus excitatus est. Cum enim non nulli Curialium famuli

famuli in fonte Ascarani catellum abluerent, & pleriq. eiusdẽ regionis incolas propterea increparent, vulneribus se mutuò affecerunt. Quidam interim Ciues nobiles ex Gattense, Alexandra, & Faiana familijs Viterbien. Ghibellinorum, ac Ioannis de Vico Vrbis Præfecti sequaces, Pontificis aduentum molestissimè ferentes, leui euentu grauiori prætestu simulato, horribilem in populo seditionem concitarunt. Plebs ipsa è vestigio commota, & quasi furijs agitata, cum quidquid ageret ignoraret, hostes, atquè consortes ferit. Curiæ familiares omnes arma tractant;at vniuersa tumultuante Ciuitate cedere coacti oblitescunt. Furenti populo quis obsistit? Nulla is ratione adhibita Curialium domus, ipsa Cardinalium Palatia, ferro, lapidibus, atq. flammis agminatim ingruit. Nicolaus Antistes, Rector. Consules, ac alij nobiles boni publici cultores, Ciuitatem ipsam vnà circumeuntes, ac populum obiurgantes, illecebris mulcire, minisque ab inopinato certamine abducere curarunt.Cardinales sub eorũ præsidio Arcem, vbi Pontifex erat, adeunt; qui tanti facinoris conscius, ac vehementer indignatus, Viterbium ad extremum exitium condemnauit; omnibusque finitimorum locorum militibus aduocatis funditus dirui præcepit. Precibus tamen Marci Viterbien. Nicolai Vrsini, atquè Nicolai de Neapoli Cardinalibus,Pontifex pacatus, causa ab eis optimè cognita, populo Ecclesiastico à Ghibellinis decepto seueram exterminij sententiam ignoscendo suspendit. Verum ne tam dirum nefas ad posterorum memoriam impunitum deueniret, auctoribus illis nequissimis vltimi supplicij pæna plexis,mandauit per quamlibet Ciuitatis regionem vnum sanè pro multis dari caput.Singuli proinde sortiti sunt,& decem

numero perierunt. Postmodum verò Vrbanus die 13. Octobris Viterbio recedens Romam profectus est: vbi generalis absolutionis bullam ad fauorem Ciuitatis, & populi emanauit; quæ in Secretaria Communitatis nostræ seruatur Dat. Romæ Kal. Decembris Pontificatus anno 6. Seguēti anno 1368. calores æstiuos euitaturus Viterbium primùm, deinde Montemfisconem se contulit. Quo tempore. Sacrum Diui Thomæ Aquinatis corpus Viterbium adductum, illudq; apud Ecclesiam S. Mariæ ad Gradus depositum, Tolosam inde translatum est. Nouo subeunte anno 1369. Pontifex ipse Montefiscone Ciuitatis nomine decorato, Viterbium cum tota Curia redijt. Pestis interim vndiquè inualescebat: hic inter alios infrascripti Cardinales obierunt. Marcus Viterbiensis die 3. Septembris, cuius in Ecclesia S. Francisci tumulus non vulgaris cernitur. Stephanus Lemoniçensis Cardinalis S. Lucinæ 4. kal. Octobris sepultus in Cathedrali. Guglielmus de Agrifolio Gallus Abbas Cluniacensis Cardinalis Episcopus Sabinen. 4. nonas Octobris tumulatus in Ecclesia Trinitatis. Arnaldus de Monte Maiori Cardinalis Camerarius, die 6. Octobris sepultus in Ecclesia S. Francisci. Androinus de Roca Burgundus Cardinalis S. Marcelli, die 28. Octobris, tumulatus in Ecclesia Veritatis. Pontifex autem bulla ad fauorem Viterbiensium emanata cum priuilegio, quod absente ab ipsa Ciuitate Apostolica Curia, neque ciuiliter, neque criminaliter ad eam conueniri possent, Romam petijt, Postero verò anno in Galliam remeauit. Nicolaus interim Episcopus ab Vrbano decimarum beneficiorum collector, & Iudex in Tuscia deputatus post eius discessum munus ipsum cum Episcopatu gessit. Anno 1376. adhuc eo viuente, dum quod-

dam

dam Cathedralis Sacellum instauraretur illius pariete fracta, mentum S. Ioannis Baptistæ diutius omnibus ignotum, repertum fuit: vt inscriptio marmorea ibi apposita indicat, dicens.

Denotat hoc signum locum reuerentia dignum
Pluribus in annis latuit hic barba Ioannis.

Nicolaus ipse Præsul, aliquandiù profugus in tribulatione vixit ad annum vsquè 1385. Franciscus namquè Vichius Vrbis Præfectus Vrbani VI. Pontificis nequissimus perduellis statum eius infestabat & pro Clemente Antipapa, qui Auenione sedebat, Ciuitatem Viterbij Vrbano obsequentissimam tyrannicè occupabat, & acriter affligebat.

Iacobus Episcopus. XXVI.

IAcobus iste, cum esset Prou. Patrimon. Thesaurarius ab Vrbano Pōtifice die 3. Nouembris 1385. per obitum Nicolai, Viterbiensis Episcopus electus, Episcopatum, populo quamuis suffragante, in laboribus, & angustijs adeptus est. At inualescente Francisci Vichij tyrannide aliò se contulit. Anno autem 1387. octauo die Maij Apparitionis festo diui Michaelis Archangeli, cum Præfectus Ciuitatem ipsam armata manù lustraret, ac omnes sibi aduersantes atrociter interimeret; Angelus Palini Tineosini nobilis, & validus adolescens Viterbiensis contra Tyrannum coniuratione firmata, plerisquè in eiusdem Ecclesiæ platea propterea congregatis, dum anceps victoriæ Præfecti potentiam pertimescebat, vexillum cum Michaelis Imagine in Sacræ illius Aedis pinnaculo infixum ante pedes eius miraculosè cecidit. Adolescens itaquè Cælesti confi-

confisus auspicio, cõmilitonibus suis animatis in acerrimum Pontificis, & patriæ hostem, atquè rebellem irruit, & viriliter interfecit. Cadauer eius ad ludibrium per Ciuitatem à furente populo distractum est. Vichiorum palatia confestim direpta, atque diruta fuere. Viterbienses verò gloriosi Michaelis Arcangeli patrocinio ab immanissima tyrannide liberati, Iacobo eorum Episcodo accito, pro gratiarum actione tantæ victoriæ, processiones cum cohortibus ipsis, elato vexillo, luminibusquè accensis, peregerunt: quam quidē commemorationem votiua lege sanicta, quotannis solennissimè celebrant. Cæterū sublata tyrannide nouæ inde calamitates euenere; Clemens Antipapa Vrbano Pōtifici oppositus, Anno 1389. Pileū PseudoCardinalē suum cum exercitu in Italiam ablegauit; vt omnes eius sedi deuoueret. Is Vrbano prædefuncto, & Bonifatio in eius locum suffecto cōtra Ciuitatē Viterbij dimicabat, ac obstricta obsidione vexabat. Andreas Capoccius & Bellebonus de Bellebonis Ciues primarij; vna cum Angelo Casella, & Ioanne Gemino pacem cum Pileo firmandam esse dictitabant. Iacobus autem Antistes assentiente populo pro Apostolica Sede, fidequè Catholica prorsus aduersabatur. Quamobrem die 23. Octobris 1390. Casella, & Geminus ipsi, patriæ proditores, inita cū Pileo concordia, illum noctu ianuis apertis, in Ciuitatem admiserunt. Antistes cum Magistratibus, pluribusq; alijs catholicis Ciuibus ea porrò nocte patriam reliquit, & paulo post fato concessit.

Pileus PseudoCardinalis Legatus Viterbij residens.

PIleus ergo PseudoCardinalis, de Rauenna nuncupatus, Clementis Antipapæ Legatus, Viterbij residens, spirituale, ac temporale dominium, Episcopali Sede vacante, gessit. Omnibus vtriusquè iurisditionis officialibus, atq. ministris auocatis, alios ei deuotos elegit. Cum autem in dies magis, magisq. sibi Viterbienses inféſos expertus esset de eorum fide veritus subeunte anno 1391. pluribus Bonifatij III. perduellibus Viterbium accersitis, Ciuitatem ipsam grauiori tyrannidis iugo subijciendam censuit. Quos igitur Clementi refragari suspicabatur, aut miserrimè peremit, aut in carcerem affligendos, ad exemplum asperitatis suæ, detrusit. Verum septima die Februarij eiusdem anni vniuerso irruente populo omnes Pilei sequaces profligati sunt. Pileus ipse timore coactus, scalis apud S. Sixtum moenibus adhibitis, ab Andrea Capoccio, ac Ioanne Gemino patriæ proditoribus sequutus, propriam salutem fugæ commisit. Qui superſteterunt, Angelus nempe Casella, & Bellebonus à populo concitato acris cruciatibus afflicti periere. Successiuè Viterbienses ad eorum tutelam Ioannem Sciarram Vichium aduocarunt.

Lucidus de Nicesia PseudoEpiscopus.

IAcobo Episcopo antedicto defuncto duo in eius locum eodem tempore ineunte anno 1391. subrogati fuere, Iacobus Raynerij Viterbiensis à Bonifatio 9. Ponti-

Pontifice, cuius familiaris erat, & Lucidus de Nicesia ab Antipapa Clemente. Is primò Viterbium veniens, Pileo fugato, suisquè consternatis, adire non audebat. Pro Iacobo populus præsto erat, at Ioannes Sciarra huius Ciuitatis principatum vix assequutus contra omnium expectationē Clementis sectatorem se declarauerat, illamque per fas, & nefas, in eius deuotione persistere, contendebat. Quare accepto Lucidi nuncio, eum honorifice excepit, ac ab omnibus venerari curauit. Sedens ergo in Episcopali cathedra Lucidus iurisditionē suam ad libitum exercuit. Hæc inter alia in quodam Instrumento Archiuij S. Mariæ Nouæ de illo leguntur. In Nomine D. Amen. A. D. 1391 Indict. 14. tempore D. Clementis Papæ VII. die 15. Mensis Septembris. Constitutus Coram Reu. in Christo Patre, & D. Lucido de Nicesia Episcopo Viterbien. & Tuscanen. existente, & pro tribunali sedente in Ciuitate Viterbij in Palatio Episcopatus Ciuitatis prædictæ ser Philppus ser Francisci: &c. Ineunte vero anno 1394. Viterbiensis populus inter Bonifatij Pontificis, & Clementis Antipapæ seditiones ab vtroque exercitu vexatus, vno omnium ore Bonifatium acclamauit. ac expulso Lucido Iacobum legitimum Præsulem accersiuit, coniuratione contra Ioannem Sciarram inita. Acquieuit ille, & populo adhæsit.

Iacobus Raynerij Episcopus XXVI.

IAcobus patria Viterbiensis, Raynerij Phisici filius à Bonifatio IX. anno 1391. Præsul, vt dicebatur, electus, profugus in Shismate Lucidi fuit. Episcopalem porro Cathedram anno 1395. adeptus est; & vsquè ad

annum

annum 1405. pluribus in ſcriptis legitur nomen eius: geſta verò memoratu digna non recenſentur. Eodem tamen anno Innocentium 7. Pontificem excepit.

Innocentius VII. Pontifex Viterbij reſidens Cum Iacobo Epiſcopo.

INnocentius Papa 7. Coſmus Miglioratus antea vocatus patria Sulmonenſis, anno 1404. Pontifex per obitum Bonifatij ſubrogatus eſt. Romani, antiqua libertate repetita, eumdem iugiter vexare non deſiſtebant. Ludouicus proinde Pontificis nepos Anno 1405. vndecim ex illis primarios occidit. Qua propter tumultuante Roma, Innocentius nonis Auguſti eiuſdem anni cum Ludouico Viterbium properauit, totamquè Curiam huc accerſiuit. Honorificentiſſimè Viterbienſes ac omni prorſus veneratione exceperunt eum: pro cuius cuſtodia comparatis armis, die, noctuquè, excubias habuerunt. Septem hic menſibus, & amplius conſedit Innocentius. Feſtiuis diebus commemorationis omniū Sanctorum, Natiuitatis Domini, ac Epiphaniæ, Sacra ſolēnia in Cathedrali celebrauit. Diſcordias inter Clerum, & populum Viterbienſem exortas ſedauit; ac officiorum ſecularium, rerumq. publicarum miniſteria Clericis omnino prohibuit. Officialium Communitatis electionem pro conſeruatione bonorum Eccleſiæ S. Mariæ ad Gradus commendauit, & approbauit. Quo tēpore nihil geſſiſſe ſcribitur Iacobus Antiſtes. Sequēti vero anno die 14. Martij Pontifex à Romanorum oratoribus accerſitus Romam reuerſus eſt.

Gregorius XII. Pontifex Viterbij residens Cum Iacobo Episcopo.

GRegorius XII. Venetus, Angelus Corarius Cardinalis antea S. Marci appellatus, pridie Kal. Decembris 1406. Pontifex Innocentio successit. Nouo subeunte anno, mense Augusti, cum tota Curia Viterbium profectus est; ac eiusdem Ciuitatis, & totius Prouinciæ Rectorem Marcum Corarium eius nepotem designauit. Extat hìc editum diploma die 18. Augusti eiusdem anni; in quo hæc inter alia Pontifex affirmauit. *Precibus dilectorũ filiorum Communis ac Ciuiũ Ciuitatis nostræ Viterbien. deuotibus inclinati, super quibuscunque negocijs in Romana Curia, cum qua in ipsa Ciuitate personaliter residemus.* Concessit quoquè in altero diplomatè hic itidem emanato 14. kal. Septembris eiusdem anni, Viterbienses in primis causis tam Ciuilibus, quam Criminalibus extra Curiam Viterbij conueniri nullo modo posse. Clerum, & Rempublicam Viterbien. visitauit, ac vtrisque compositis quasdam constitutiones edidit; quarum executionem Iacobo Episcopo commisit. Postmodum Lucam perrexit. Iacobus autem Antistes mandata sua diligentissime curauit. Inde tres ordinationes habuit, primã die 18. Septẽbris 1408. alias 7. & 18. Februarij 1411. vt patet in Archiuio Cathedralis.

Ioannes XXIII. Pontifex Viterbij residens Cum eodem Iacobo Episcopo.

IOannes Papa 23. Balthassar Cossa Neapoletanus Cardinalis S. Eustachij antea vocatus, anno 1413.

arma

arma Ladiſlai Regis, qui Romam aduentabat, reformidans, Viterbium ab eius Curia proſequutus aufugit. A Iacobo Epiſcopo, illo iubente, priuatim exceptus eſt. Ciues Pontifex in fide confirmauit, & contra Ladiſlaũ Eccleſiæ hoſtem prouocauit. Rogerium Petri SS Lucæ & Fauſtini Prioré elegit. Inde Bononiã profecturus, Oddonem Cardinalem Columnam ſuum de latere huius Ciuitatis legatum, generalemq; Vicarium deſignauit, & paulo poſt abijt, Roma interim Ladiſlaus expugnata, Proregem ibi conſtituit Petrum Paulum Bracam Viterbienſem Belcaſtri Comitem, Cotronæ Marchioné, Ducemq. Calabriæ: virum profectò fortiſſimum, militariſquæ diſciplinæ peritiſſimũ. Viterbiũ præterea Ladiſlao cum exercitu properante, Oddo Legatus obſiſtere, ac Ciuitatem ipſam defendere poſſe ratus, copias paranit: at Ioannes Gattus nobilis, & potens Ciuis, qui rebus militaribus præerat de Ladiſlai potentia veritus, maluit illi pacato cedere, quam laceſſito ſuccumbere, & patriæ exitium querere. Quocirca Oddo ſuæ legationis facultate Franciſco Abbati S. Martini ſub delegata ad Concilium Conſtantien. ſe contulit. Viterbio deinceps ſinè clade, ac hoſtili incurſione ſubacto, inter Iacobum Antiſtitem, & Franciſcum Abbatem Oddonis legati Vicarium, iuriſditionis cauſa maximum diſſidium exortum eſt. Ciuitas in factiones diuiditur. Abbas cunctis inuiſus à populo, ac ab ipſo Ioanne Gatto, cum ſectatoribus ſuis ãno 1414. eicitur, atq: fugatur: poſtmodum captus occiditur. Concilium inde Cõſtantiæ tribus Pontificibus abdicatis, & ſchiſmate protinus ſublato, Oddonem Cardinalem antedictum de Columna verum Chriſti Vicarium Martinum V. appellatum creauit, 3. idus Nouembris 1417. Iacobus verò Epiſcopus

obijt anno 1420. condito kal. Aprilis testamento, in quo Basilicam S. Petri de Vrbe, ac Ecclesiam S. Angeli de Viterbio, hæredes instituit.

Iacobus Vgozolinus Episcopus 11.

IAcobus Vgozolinus nobilis Viterbiensis, Iacobo Raynerij prædecessori in Episcopatu successit, cuius viuentis Vicarius fuerat. A Martino V. eodem anno 1420. electus est. Cũ Florentiæ apud Põtificẽ degeret, patriam adiuit, eiusque Episcopalis Sedis possessionem appræhendit.

Martinus v. Pontifex Viterbij residens Cum eodem Iacobo Episcopo.

MArtinus Papa V. Constantia Florentiam profectus, Viterbium inde peruenit anno 1421 Augusti mense. Solẽniter ingressus ad Cathedralẽ Ecclesiã se contulit cui in trono Pontificali sedenti, Ciuitatis Magistratus atquè Consules fidelitatis iuramentum nomine publico præstiterunt. Clerus idem exequutus est. In Palatio Pontificio residens, exulibus innumeris Viterbien. etiam Sedis Apostolicæ rebellibus, paucis solũ modo exceptis, Sanctiss. atque benigniss. Pater, pie indulsit.. Balthassarem Ioannis Gatti filium Abbatem S. Martini in Montibus Viterbij, & Petrum S. Matthei Priorem elegit. Inde Romam expetitus accessit. Iacobus autem Vgozolinus Episcopus post Pontificis discessum suam laudabiliter administrauit Ecclesiam. Anno præsertim 1426. secunda die Iulij Visitationis Beatæ Mariæ festo sacrum solenne in sacello Palatij Communi-

munitatis Viterbij celebrauit, ac Indulgentiam quatraginta dierum concessit: vt in eius diplomate legitur. Eodem anno S. Bernardinus Senensis Viterbium adueniens in platea Monasterij sui nominis ab eo tunc instituti, ac extra fores S. Francisci, vbi nunc lapideum suggestum cum epitaphio cernitur, conciones habuit; signumque Sãctissimi Nominis Iesu ad portas Ciuitatis nempè S. Luciæ, & S. Sixti, affigi fecit. Iacobus vero Episcopus die 29. Aprilis 1429. testamentum condidit, & paulo post è vita migrauit.

Ioannes Caranzonus Episcopus XXVIII.

Oannes cognomento Cecchinus de Caranzonibus Romanus, Iacobo Antecessore, ex humanis erepto, Episcopalẽ Viterbij Cathedrã adeptus est, sub Martino V. anno 1429. Multa recensentur de illo in Archiuijs Ecclesiarum Viterbij, attamen hæc memoranda ipso sedente leguntur. Anno siquidem 1433. die 8. Maij Sigismundus Imperator Romam profecturus Viterbium venit, cui Ioannes ipse Episcopus obuiam solenniter processit. Anno vero 1443. Iulij quidam nequissimus vir nomine Francus alienigena, diabolica prauitate circumuentus, Cathedralem Ecclesiam Viterbien. ingressus, imaginem Sãctissimi Saluatoris in columna depictã, sacrilego gladio in gutture percussit: ex cuius vulnere sanguinis è vestigio perfluxit. Territus itaquè scelestus ille, Valentanum aufugit; vbi exitiali morbo præuentus mortem expetebat, & mori nullo modo poterat: quamuis carnes eius exiccatæ, & ad nihilum redactæ fuerint. Cumque postea sacrilegium suum cuidam presbitero Antonio eiusdem loci pura confessione patefecisset,

eisset, sanus illicò surrexit. Plura inde miracula sub imagine illa Deus ipse exhibere dignatus est. Quæ omnia Ioannes Episcopus veritate comprobauit.

Eugenius IIII. Pontifex Viterbij residens. Cum Ioanne Episcopo.

EVgenius Papa IIII. Venetus Gabriel Cardinalis Condulmerius iam vocatus, Anno 1443. Senis Romam pergens, Viterbium die 17. Septembris peruenit à Ioanne Antistite cũ Clero, ac Petro de Ramponibus Prouinciæ Rectore cum Magistratibus, atquè Ciuibus omnibus, comitatus, & apparatu splendido, Ciuitatem ingressus, ab Antistite in eius Palatio, Cathedrali visitata, exceptus est. Plures hic Romani proceres obuiam accesserunt, illumque obsequentissimè venerarunt. Die 21. d. mẽsis festum S. Matthei in Cathedrali Ecclesia, duobus supra viginti Cardinalibus assistentibus, solenniter celebrauit. Clericorum discordias cum Episcopo audiuit, atquè sedauit, Rempublicam composuit, cuius Priuilegia confirmauit. Die vero 26. eiusdem mensis Romam adiuit. Ioannes inde Episcopus duas ordinationes habuit, anno 1444. Postero autem Gerardus Cardinalis Landrianus Mediolanensis Viterbij degens 7. Idus Octobris obijt & in Ecclesia min. conuent. S. Francisci sepultus fuit: vbi monumentum suum cum epitaphio cernitur.

Nicola-

Nicolaus V. Pontifex Viterbij residens. Cum eodem Ioanne Episcopo

ANno 1450. æstiuo tẽpore Nicolaus Papa v. Thomas Lucanus Sarzanensis vocatus, Viterbium advenit, thermasq. illius visitauit, quarum aquarum potentiam, atquè virtutem expertus, insigne Palatium extra Ciuitatem ad secundum ferè lapidem, super eis sumptibus suis construi mandauit; quod adhuc estat, & Balneum Papæ vocatur: insignia sua vbiquè visũtur, Illic aliquando cum tota eius familia consedit. Dum Viterbij moram traxit inter alias ordinationes Aegidiũ Viterbien. Priorem S. Stefani designauit. Inde ad Vrbem reuersus est. Ioannes vero Episcopus; die 6. Octobris eiusdem anni Ludouicum de Varambone Gallum Cardinalem S. Anastasiæ Episcopum Maurianensem in eius Palatio excepit; qui die 8. d. mensis, ipso Ioanne assistente, Ecclesiam S. Rosæ consecrauit. Die 3. Martij 1452. Fridericus 3. Imperator Viterbiũ perrexit, & festa die Romam se contulit. Ioannes deinceps Episcopus die 26. Martij 1457. sub Calisto III. Apostolicus Commissarius in causa Canonizationis S. Rosæ Viterbien. vna cum Nicolao Episcopo Hortino subdelegatur, quorum auctoritate, & presẽtia processus Viterbij conditus est.

Pius II. Pontifex Viterbij residens Cum eodem Ioanne Episcopo.

IOanne Episcopo adhuc superstite, die 20. Augusti 1458. mortuo Calisto III. Aeneas Siluius Cardinalis Pi-

lis Piccolomineus Senēsis Pōtifex designatus fuit. Nouo subeunte anno 1459. Ianuarij mense, Mantuam iturus, Viterbium peruenit. Summo enim Pius Viterbienses prosequebatur amore. Nam dum Cardinalatus dignitate fungebatur, Ciuitatis amenitate, thermarumquè suarum salubritate nimium delectatus, hic frequēter cōmorabatur. Solēniter ergo, ac indicibili gaudio Pius Pontifex Ciuitatem ipsam ingressus est. Animi sui alacritatem, atq. munificentiam protinus exhibens, donauit, & remisit Communi Viterbij quidquid illuc vsque Cameræ Apostolicæ soluere tenebatur. Annuum itidem prouentum pro fabrica publici Palatij concessit. Gattensem, & Tineosinam factiones, quas Brettonam, & Maganzensem appellabant, mutuò sibi aduersantes, sæuisque cædibus foedatas, compressit, atq. sedauit; omnesq. ad pacem. & concordiam adhortatus est. Inde Mātuam accessit. Seguenti anno 1460. Ioannes Episcopus Viterbien. antedictus interijt.

Petrus Viterbien. Episcopus xxix.

PEtrus hic Viterbiensis fuit, obscuro genere ortus, Francisci tamen filius dicitur, & Archipresbiter S. Sixti, moribus, atquè doctrina insignis, religionisq. cultor eximius. Senis die 7. Iunij 1460. vbi tunc Pius Papa 2. agebat, Episcopatum patriæ ab eo obtinuit. Ciuitatem solenniter ingressus, Cathedralem, ac Episcopatum adiuit.

Pius Papa II. Viterbij residens Cum Petro Episcopo.

PIus Pontifex Mãtua Senas venerat, inde recedens, die vltima Septembris eiusdem anni 1460. Viterbium appullit, cui Petrus Episcopus extra portam S. Luciæ cum Clero suo, tum seculari, tum regulari: Rector etiam cum Magistratibus, atquè Ciuibus, vniuerso confluente populo obuiam processerunt. Pius Pontificalibus vestibus indutus vna cum Cardinalibus, Archiepiscopis, ac Episcopis suis, præcedente Clero cum Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento; cunctisque Sanctorum reliquijs, maximis honoribus adhibitis, ingentibusquæ sumptibus erogatis ad Cathedralem Ecclesiam perrexit: inde ad Cœnobium S. Francisci se contulit: vbi consedere statuerat. Cum autem ipso absente Gattensium, & Tineosorum factiones rursus excitatæ fuerint, & Ciuitas ipsa labefactata torpesceret illas paterna clementia pacauit, ac Põtificia auctoritate repressit. Die 4. Octobris festum S. Francisci in eius Ecclesia solemni ritu celebrauit, suamquè benedictioné cuncto populo tribuit. Palatium Balnei Papæ à Nicolao v. extructum, nouarum ædium incremento amplificauit, ac ibi aliquantulum permansit. Nicolaum Fortemguerrã Cardinalé, & Episcopum Theanensem eius de latere Legatum cõstituit; rebusq. Spiritualibus, & tẽporalibus compositis Romã petijt. Nicolaus Viterbij residẽs apud Ecclesiã S. Sixti Palatiũ erexit, ac illud incoluit. Præterea Petrus Episcopus anno 1461. Super Monialium reformatione Congregationem habuit. Pius verò Pontifex die 7. Maij 1462.

Cum Cardinalibus, & Curia, Virerbium remeauit, ac in Arce consedit. Die 27. eiusdem mensis Ascensionis Domini, & Dominica Pentecostes Sacris solemnibus in Cathedrali interfuit. Die verò vltima Maii Ludouicus Cardinalis Alibrettus Gallus regio sanguine oriundus, paulo ante à Pio in numero Purpuratorũ cooptatus, Viterbium venit, solemniq. pompa ingressus, in Consistorium Pontificem adijt, & rubeum galerum suscepit. In eodẽ Consistorio Pius alios creauit Cardinales. Die 17. Iunij festum Sanctissimi Corporis Christi ità splendide, ita honorificè Viterbij celebrauit, vt admirari potius, quam imitari queat. Processio ab Ecclesia S. Francisci ad Cathedralem transmeauit. Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum Pontifex ipse in folio mirificè exornato sedens sub vmbella detulit. Soliũ sex Prælati gestabant, Cardinalibus, Archiepiscopis, atq. Episcopis cum vniuerso Clero ordine præcedentibus. Omnes solemnitatis viæ à summo ad imum preciosis suppellectilibus concinnæ, & superius contectæ admirationem quandam præseferebant. Veteris, ac noui testamenti, Passionisq. mysteria vndique more dramatico apparentia. Visibilis Paradisus cum Cælesti curia, mirabili artificio in aere libratus, Angeli, atq. Beati ex eo descendentes, & ascendentes, Sacrosanctumq. Christi Corpus, dum illac transibat, adorantes, ac vocibus, & canticis laudantes; aliaquè maiora, & ineffabilia, sumptu inestimabili præparata, ac ingenti tum gaudio, tum deuotione perpensa; visa sunt. Gentium multitudinem, quæ ad functionem illam ab omni parte confluxerat, quinquaginta millia excessisse scribitur: ità vt plateæ non modo Cathedralis, & S. Bernardini, verum etiam planities Faulis cum collibus, & locis circum

cum circa adiacentibus; immo totius Ciuitatis viæ essent vndique plenæ. Pontifex ex eminenti parte benedictionem Apostolicam cum indulgentia plenaria omnibus impertitus est. Postmodum verò Ludouicus Milanus de Valentia Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum in Pontificali Palatio Pontificem ipsum cum alijs Cardinalibus conuiuatus est. Cum autem pestis suspicio inualesceret, & die 21. eiusdem mensis Iunij Viterbij repentè rumor excitatus fuerit, Ciuitatem ipsam eiusmodi morbo grauari, Pius hora sexta noctis Senas versus celeriter abijt. Plerique Viterbiēses quoquè timoris causa aufugerunt; nec abre quidem; maior namquè Ciuitatis pars contagio perijt. Senis Pontifex Tudertum, inde Romam adijt. Die 6. Februarij 1464. Viterbium reuertitur Senas rursus iturus. Rediens, Romam versus iter habuit: inde Anconam profectus, ibi die 17. Kal. Septēbris è vita migrauit. Petrus interim Episcopus gregem suum clemētissimè regebat, omnibusq. spiritualia, & temporalia auxilia cordis affectu tribuebat. Cuius tēporibus sacra Deiparæ Virginis imago propè ac extra Viterbium in agro Grazano rudi tegula depicta, & ad annosam quercum appensa videbatur; in qua Deus omnipotens ingentia miracula operare cæpit. Cumquè anno 1467. populus illuc deuotionis gratia vndiquè conflueret, Petrus ipse Viterbien. Antistes exiguum ibi Sacellum construendi, & à Fratribus Iesuatis ord. B. Columbini, tum Viterbij degentibus, Sacra celebrandi, licentiam impartitus fuit, Pontificia Pauli 2. auctoritate accedente. Die verò 20. Septembris eiusdem anni solemnissimam Regularium, & Secularium Ordinum, ac totius Ciuitatis processionem cum sanctarum Reliquiarum delatione, habuit. At anno 1469. Iesuatis ab-

rogatis, Sacri loci ministerium Fratribus Prædicatorum S. Dominici concessum est. Vbi nunc templum excelsum, miraculorum insigne, & toto orbe celeberrimũ sub titulo S. Mariæ supra Quercum extructum videtur. Eodem anno 1469. Fridericus III. Imperator iterum Viterbium aduenit, cui Petrus Episcopus obsequentissimus fuit, illumq. Romam vsque comitatus est. Nouo subeunte anno 1470. Petrus antiquissimam, & priscã Viterbij Ecclesiam S. Mariæ de Populo apud Episcopale Palatium, vetustate ferè collapsam, funditus destruxit, ac aliam erexit, quæ adhuc extat, sub vocabulo S. Mariæ de Cella. Fontem perpulcrũ Baptismalẽ marmoreum ex pecunijs à Nicolao Bussio Viterbien. legatis, confecit. Inuentarium bonorum Episcopatus ab eo factum in Archiuio S. Laurentij legitur: cuius prouentus maxime auxit. Septuagenarius tandem Viterbij decessit, & in Cathedrali Ecclesia sepultus est, die 4. Augusti 1472.

Franciscus Maria Vicecomes Episcopus xxx.

FRanciscus Maria Vicecomes, qui etiam de Scellonibus cognominabatur, patria Mediolanensis, frater ordin. min. S. Francisci, paulo post obitum Petri præcessoris à Sixto Papa 4. Episcopus Viterbien. electus fuit. Vltima die Septembris 1472. Solemni ritu Episcopalem Cathedram appræhendit. Sequenti anno Nicolaus Fortisguerra Cardinalis, & Episcopus Theanensis, qui apud S. Sixtum nobile Palatium erexerat, & plerũquè incolebat, ibi vitam cum morte cõmutauit: cuius solemnibus exequijs Franciscus Maria Episcopus inter fuit. Postmodum verò 5. Septembris 1474. Vetrallæ in

Ecclesia S. Francisci Altare in honorem gloriosissimæ Virginis, ac eiusdem sancti consecrauit, & reliquias S. Stephani Prothomartyris, ac SS. Cirini, & Sigismundi posuit: vt inscriptio ibidem inuenta docet. Bonorũ stabilium sui Episcopatus Inuentariũ die 10. Maij 1475. in Archiuio S. Laurentij cernitur. Gesta eius ad annum vsquè 1479. annotantur. Anno verò 1480. ipso absente, Lazzarus Episcopus Vrbinatensis eius vices Viterbij gessit. Nam die 15. Aprilis eiusdem anni in Cathedrali ordinationes habuit: vt patet in Archiuio S. Laurentij. At anno 1482. & 1487. alius Episcopus Viterbiensis, Francisco Maria adhuc viuente, nominatur: nempe, Ioannes baptista, qui Gubernator Perusiæ extitit. vt eiusdem Ciuitatis documenta recensent. Suffraganeus Francisci Mariæ fortasse fuit. Porrò Anno 1499. Raphael Galeottus Cardinalis de Riarijs perpetuus Commendatarius Sedis Episcopalis Viterbien. declaratus fuit: vt colligi potest ex Inuentario quodam bonorum Episcopatus, in Archiuio Cathedralis sub anno 1490. ac ex mithra sanè pulcherrima, in qua insignia tum Cardinalis, tum ipsius Francisci Mariæ Antistitis videntur. Cæterum Antistes ipse in Episcopali Palatio fontem in ingressu, ac alia, vetustate consumpta, restituit: vt indicant insignia sua. Decessit anno 1492.

Mattheus Cybus Episcopus XXXI.

Raphaele Cardinali Riario Viterbiensis Episcopatus Commendatario existente, & Francisco Maria Episcopo vita functo, Mattheus Cybus nobilis Genuensis anno 1493. eius Cathedram obtinuit. Ob sæuas Ciuium factiones, Viterbij tunc imminẽtes, Alexander

Papa 6. de statu miserrimo illius ab eodem Episcopo certior factus Alexandrum Cardinalem Farnesium ineunte anno 1494. suum huc de latere Legatum misit. Cuius auctoritas, cum Ciuis esset optimè meritus ad sedandas discordias, & seditiones illas plurimum valuit. Is profectò ex Archipresbitero S. Sixti Viterbien, scriptor & Prothonotarius Apostol. sub Innocentio 8. electus, ab Alexandro 6. ærarij sui Præfectus, ac Montisfisconis, & Corneti Episcopus, inde Cardinalis 12. Kal. Octobris 1493. creatus est. Hic sanè Paulus Papa 3. postea fuit; de quo infra. Cum igitur legationis munere Viterbij fungeretur die 10. Nouembris 1494. Carolum Francorum Regem, dum Regnum Neapolitanum repetitum, venit mirificè, ac splendide hospitatus est. Rursus in reditu 5. Iunij 1395.

Alexander VI. Pontifex Viterbij residens Cum Alexandro Cardinali Legato, ac Mattheo Episcopo.

POst Caroli Regis discessum, die 23. eiusdem mensis Iunij Alexander Papa 6. Viterbium profectus ab Alexãdro Cardinali Legato, ac à Mattheo Episcopo solemni Pontificali pompa exceptus est. Die 24. festum S. Ioannis baptiste in Cathedrali celebrauit quindecim Cardinalibus assistentibus. Archãgelũ Iuzzãtẽ Priorẽ S. Stephani eiusdẽ Ciuitatis elegit. In fine mẽsis Romã remeauit ab Alexandro Cardinali Farnesio Legato, alijsq. Cardinalibus prosequutus. Mattheo autem Antistite adhuc viuente, Viterbii in Monasterio S. Thomæ ordinis S. Dominici, claruit Beata Lucia Narniensis monialis; quæ

lis; quæ ob egregias virtutes, probatamquè ſanctitatē, ſacra Chriſti ſtigmata cruore madida, cunctiſq. viſibilia, hìc habere meruit. Quæ ab ipſo Mattheo Epiſcopo vnà cum Magiſtro Sacri Palatij, alijſq. Commiſſarijs Apoſtolicis anno 1497. apertè comprobata fuere. Obijt poſt ea Mattheus exeunte anno 1497.

Raphael Cardinalis Riarius Commendatarius, & Epiſcopus XXXII.

RAphael Galeottus de Riarijs Sauonēſis Petri Riarij Cardinalis ex ſorore nepos Epiſcopus Imolēſis electus, in Vngariam à Sixto Papa 4. ablegatus fuit. Romam reuerſus, anno 1478. die 10. Decembris Cardinalis tit. S. Georgij, & S. R. E. Camerarius creatur. Anno verò 1489. Commendatarius perpetuus Epiſcopatus Viterbienſis ab Innocentio 8. vt iam diximus, eligitur. Mortuo Mattheo Cybo, Raphael ipſe Cardinalis Riarius illius quoque Epiſcopalem ſedē aſſequutus eſt, ſub Alexandro 6. Pontifice, Anno 1498. Præſulem iſtum ex documentis ſuis ad annum vſquè 1505. Epiſcopatum tenuiſſe liquet. Inde à Iulio Papa 2. Epiſcopus Albanus: poſtmodum Oſtienſis factus, Octauiano Vicecomiti de Ryarijs Epiſcopatū Viterbien. Pontificis auctoritate, renunciauit. Ipſe autem Romæ Palatio excelſo cum Eccleſia SS. Laurentij, & Damaſi in regione Campi floræ à fundamentis conſtructo, anno 1521. Neapoli vita functus eſt, corpus verò ſuum ad Vrbem delatum, & in eadem Eccleſia ſepultum.

Octauia-

Octauianus Vicecomes de Riarijs Episcopus. XXXIII.

OCtauianus Vicecomes de Riarijs natione Mediolanensis, Raphaelis Cardinalis antedicti (vt aiunt) ex sorore nepos, insignia namque sua, & illa de Riarijs, copulata videntur; Antistes Viterbien. ex resignatione auunculi designatus est, anno 1505. Sub quo nonis Septẽbris Raymundus Periardus Hispanus Cardinalis tit. SS. Ioannis, & Pauli Viterbij, & Prou Patrim. Legatus hic obijt, & in Ecclesia Sanctiss. Trinitatis sepultus est. Eodẽ anno Februarij mẽse Iulius Papa 2. Fatiũ Sáctorũ Viterbiensem, inope quidem, sed nobili familia genitum, atq. doctrina clarum, Cardinalem tit. S. Sabinæ, creauit, & anno 1509. Viterbium cum eo profectus est: vbi imaginem gloriosissimæ Virginis Mariæ supra Quercum veneratus, Bononiam versus iter habuit. Octauianum verò Antistitem annno 1511. Inuentariũ bonorum sui Episcopatus confecisse legitur: nec vltra nomen eius in documentis nostris: creditur tamen vsq. ad annum 1517. vixisse.

Aegidius Antoninus Cardinalis Viterbiensis, Episcopus. XXXIV.

PErperam Panuinius, & quidam alij, ex Castro Capepinæ olim Viterbien. diæcesis, Aegidium fuisse asserunt. Nam innumera Viterbij documẽta hic ortum demonstrant. Id sanè Aegidius ipse in suis Epistolis affirmauit: quibus Ciaconus, & alij astipulantur. Pauperrimis, honestis tamen parentibus genitus. Pater eius Anto-

Antoninus vocabatur, vnde Antonini cognomen à nõ nullis sumptum: ipse autem semper Aegidius Viterbiensis appellatus est. Frater, & Magister ordinis Eremitarum S. Augustini, atq. Prior generalis fuit: Orator, Poeta, Philosophus, Theologus, Historicusq. insignis. Liguarum quoquè omnium sapientissimus, atquè cõcionator celeberrimus: ita vt de illo dictum fuerit, non Aegidium concionantem, sed Paulum prædicantem audire. Legatus ad Venetos ac ad Regem Neapolis missus à Iulio II. doctrina, eloquentia, & prudentia sua plurimum profecit. Quarè à Leone x. qui eum summopere diligebat, Patriarcha Constantinopolitanus primò electus est; inde Kal. Iulij 1517. Cardinalis tit. S. Matthei, postmodum S. Marcelli, ac Episcopus Patriæ suæ designatus. Qui eodem anno, Cathedræ possessione adepta, Leonem ipsum Pontificem, die 27. mensis Decembris Viterbij splendidè, ac honorificè excepit. Imaginem enim sacratissimæ Virginis supra Quercum veneratum venerat Leo. Anno subindè 1523. Aegidio adhuc Episcopo superstite, Equites Hierosolymitani, Rhodo eorum Sede, à Solymano Turcarum Imperatore expugnato, Viterbium cum Magno Magistro aduenerunt: quam quidem Ciuitatem Clemens Papa 7. eis Rhodi loco substituit; illamquè ab armis, & obsidione Borbonis anno 1527. viriliter liberarunt; eumquè pacatum hinc abire curarunt. Inde Viterbij eorum generali Capitulo celebrato, ac Insula Melitæ impetrata, ad illam se contulerunt; plerasq. sanctorum insignes reliquias in Ecclesia SS. Faustini, & Iouitæ, vbi consederant, reliquerunt. Cæterum Aegidius Cardinalis, & Episcopus eo tempore Viterbij sedebat: cõstituit enim die 15. Augusti eiusdem anni 1527. Prætorem oppidi

Balneareæ Episcopatui suo in spiritualibus, & tẽporalibus subiecti: vt eius litteræ indicant.

Clemens VII. Põtifex Viterbij residens Cum Aegidio Cardinali, & Episcopo.

CLemens Papa 7. Iulius Cardinalis Medices anteà vocatus, patria Florentinus anno 1527. mense Decembris Borbonis exercitu, post Vrbem expugnatam, Adriani Molem obsidente perterritus, opportunè recedens post Viterbium Vrbemueterem adijt. Octauianus proindè Spiritus Viterbiensis patriæ dominium sibi vindicare ratus, rumorum occasionem nactus, cum Martio Columna, ac Pirrho Balleono certis se foederibus coniunxit, & Arcem illius occupauit. Sequenti verò anno 1528. die prima Iunij Põtifici Viterbium properanti, Arcẽ, atq ditionem liberè dimisit. Clemens cũ tota Curia, ab Aegidio Cardinale Episcopo honorificentissimè exceptus, Ciuitatem solemniter ingressus est; ibiquè per totum mensem septẽbris consedit. Functiones suas in Cathedrali celebrauit; plerasq. ordinationes hic habuit. Magistratum octo Priorum Ciuitatis ad quatuor Conseruatores redegit; & Constitutiones quasdam pro pacifico, & salubri illius statu sanciuit. Bullam super iurisditione Almæ Vrbis Vicarij emanauit. Dat. Viterbij Kal. Octobris 1528. Inde ad vrbem reuersus est. Ab Aegidio Cardinali Episcopo illuc vsquè comitatus: qui sexagenarius Romæ idibus Nouembris 1532. excessit. & in Ecclesia S. Augustini sui ordinis sepultus est.

Ioannes

Ioannes Petrus Crassus Episcopus xxxv.

AEgidio mortuo sub Clememte VII. Ioannes Petrus Crassus Bononiensis in Viterbien. Episcopatu successit; de quo nil memoratu dignum legimus ad annum vsque 1536.

Paulus III. Pontifex Viterbij residens Cum Ioanne Petro Episcopo.

PAulum Papam III. Alexandrum antea Cardinalē Farnesium, & Viterbij Legatum, vt loco suo indicauimus, Romanum nō nulli, ex Canino paternæ ditionis oppido quidam alij faciunt: gratis tamen, nullaquè auctoritate vel argumento præcedente. Rerum quippè gestarum annales, seculorum monumenta Ciuitatis Viterbij in tenebris obsoleta, atquè depressa nullum ad huc optatæ lucis auctorem, veritatisq. propagatorem habuere. Reuera Alexander Farnesius, Paulus 3. inquā Pontifex Viterbij natus, & educatus est (Non amor, non cupiditas honoris patriæ me fallit) Præclarissima namquè, ac excelsa familia Farnesia sexcentis annis, & amplius, hic degit. Vetustum illius Palatium cum insignibus suis per tempora commutatis, apud Cathedralē adhuc extat, oculisq. omnium patesit. Illud sanè post alios vltimum Petrum Aloysium eiusdem Pontificis genitorem incoluisse, ac inter Ciuitatis nobiles connumeratū fuisse pro comperto habemus. Ibi Alexandrum ipsum Farnesium, qui Paulus Pontifex extitit, die 23. Februarij 1468. natalem suum assequutum esse, hic infantiam, hic adolescentiam egisse; hic Cappellaniam primo S.

mo S. Elisabeth, deinde Canonicatum, item Prioratum S. Stephani, hic demum Archipresbiteratum S. Sixti obtinuisse, clarissimũ est. Annales nostri, Codices, libri, documenta, seniorumquè traditiones cunctæ Viterbiensem Ciuem agnoscunt, & probant. Id itidem Alexander ipse Cardinalis Farnesius, item Pontifex, tum voce, tũ scripto, prodidit, atq. promulgauit. Alexander ergo die 12. Octobris 1534, Pontifex creatus, Benedictum de Nobilibus immediatè Viterbium ablegauit: qui die 13. Nouembris proximè sequuti, generalissimo illius Senatu cõgregato, de mãdato eiusdem Pontificis, viuæ vocis oraculo sibi facto, summoporè congratulatus, eius animum erga patriam valde propensum esse palam enunciauit. Inter alia hæc verba protulit. ***Sanctissimus in Christo Pater & D. N. D. Paulus dignissimus Papa III. ob Paternam affectionẽ, qua hanc Ciuitatem Viterbij, quam eius asserit Patriam prosequitur.*** Paulus ergo amore patriæ motus anno quolibet, suo durante Pontificatu, eamdem adijt, ibiquè aliquandiù honorificentiæ, atquè refectionis gratia moram traxit. In annis præcipuè 1536. 1537. 1538. & 1539. Ioanne Petro Crasso Episcopo sedente, plura hic residens egit Pontifex, ac innumera Ciuitati suæ beneficia cõtulit. Primùm itaquè ciuiles discordias, atq. seditiones, quæ tot, tantisq. annis vrbem hanc afflixerunt, penitus extinsit: & ne intestina labes noua indè mala pullularet (de pacifico statu patriæ solicitus) coram se Ciuibus vtriusque factionis congregatis, illas affinitate mutuis connubijs iunxit. Clerum eà de causa deprauatum, Ioanne Petro Episcopo informante, redarguit, illisq. factiosorum consuetudinem, sub eius indignationis poena prohibuit. Cathedrali visitata, duodecim ibi iuuenes Clericos perpetuò

tenendos constituit: pro quorum subsidio Plani Balnei prouentus assignauit. Amplam, rectamquè viam à Ciuitate ad Aedem Diuæ Mariæ supra Quercum, vmbriferis vndiquè consitam arboribus, aperuit: cuius amoenitate oblectatus per eam interdum spatiabatur. Templū ipsum contignatione, ac laquearibus aureis exornauit. Præsidis Palatium, arcemquè ferè collapsam restituit, & amplificauit. Priuilegia omnia prædecessorum suorum Ciuitati confirmauit, atq. maiora concessit. Datarium suum Christophorum de Spiritibus Viterbien. designauit; qui Patriarcha Hierosolymitanus, ac Episcopus Cesenas quoque fuit; plerisq. alijs Ciuibus virtute præditis selectis, eos Romam secum adduxit: mense Septēbris exeunte, anni 1539. Ioannes Petrus Episcopus inde obijt.

Nicolaus Card. Rodulphus Episcopus xxxvi.

NIcolaus Rodulphus Florentinus Leonis Papæ x. ex sorore nepos, ab eodem Cardinalis creatus, Florentinus, Foroliuiensis, Imolensis, ac Salernitanus Antistes fuit. Postmodū vero sub Paulo Papa 3. ad Episcopalem Viterbij sedem administrandam, atq. regendam per obitum Ioannis Petri de Crassis translatus est.

Paulus III. Pontifex rursus Viterbij residens. Cum Nicolao Cardinali Rodulpho Episcopo.

PAulus Papa 3. haud immemor Viterbiensis patriæ, anno 1540. die 5. Septembris ad illam cum Cardinalibus suis regressus est. Ibi residens Magistratum, & Ciues humanissimè ac hilariter audiuit, Supplicando in-

ter alia petierunt, quod cum Sanctitas sua in breuibus, & litteris, se Viterbiensem appellaret, & Ciuitas ipsa tanto Ciue, qui vniuerso dominabatur orbi plurimum gloriaretur, ad illustrandam patriam suam generale studium litterarum ibidem erigere dignaretur. Precibus benignè annuit Pontifex, illiusquè executionem Præsidi Viterbien. delegauit. Suborta interim controuersia inter Communitatem Viterbij; & Fratres diuæ Mariæ supra Quercum occasione iuris pascendi Pontifex illam opportune composuit. Die vero 17. eiusdem mensis Henricus Cardinalis Borgia Valentinus, qui cũ Pontifice venerat, hic vita functus est; corpusq; suum Romam allatum. Paulus deinceps abijt: at anno 1541. mense Augusti redijt. Conseruatorum Ciuitatis præcibus motus differentias inter eos, & Archihospitale S. Spiritus Almæ Vrbis vertentes super ditione agri Rispanpanis, iure debito terminandas commisit Reginaldo Cardinali Polo Anglo; quem eiusdem Ciuitatis, & Prouinciæ suum de latere Legatum designauit. Post hæc autem Paulus Carolum V. Imperatorem alloquuturus, Lucam versus iter habuit. Post ejus discessum die 14. Septembris Cardinalis Polus Legatus solemniter suæ legationis munus adeptus est. Postridie Franciscus Cornelius Venetus Cardinalis Prænestinus, quem Pontifex grauiter ægrotantem Viterbij reliquerat, excessit: cineres Venetias delati sunt. Sequẽtibus quoquè annis Paulus vsque ad vltimum vitæ suæ patriam de more visitauit, & plura tam ad rempublicam, quam ad Ecclesiam Viterbien. pertinentia peregit. Anno præsertim 1544. mense Octobris à Cardinali Rodulpho Episcopo splendide exceptus, Sacrum in Aede Diuæ Mariæ supra Quercũ celebrauit: Cuius ibi simulacrũ ele-
uatum

uitum cernitur. Postero anno 1545. mense Septembris Hospitalis Communis, ac ægrotantium eius necessitatibus (quas ipse met paterna benignitate perspicere voluit) ex intimo commotus, hæreditatem Presbiteri Gratiani, illius olim Prioris, Spolio Cameræ Apost. applicatam, ac alia munera eidem Hospitali elargitus est. Anno 1546. Litterarum studium Viterbij inchoatum generali priuilegio confirmauit. Et vt Ciuitatem ipsam maiori splendore ac ornamento decoraret. Collegio in ea Equitum Lilij erecto, eorum sedem constituit. Anno 1547. mense Maij nuncio Victoriæ Caroli v. Imperatoris contra Ducem Saxoniæ, aliosq; rebelles, Viterbij accepto, Præside, atq. Conseruatoribus illius accersitis, eisdem omnia humanissimè significauit, debitisq. laudibus pro gratiarum actione in Cathedrali decantatis, maxima lœtitiæ signa per vniuersam Ciuitatem exhiberi mandauit. Anno vero 1548. mense
hic pariter residens Paulus, Nicolao Cardinali Rodulpho Episcopo Viterbien. Vrbeuetana Ecclesia Commissa, huius Ciuitatis Antistitem Nicolaum Vgolinum elegit.

Nicolaus Vgolinus Episcopus XXXVII.

NIcolaus Vgolinus de Môterchio Ciuitatis Castelli ditionis oppido Præsul Viterbiensis electus, die 16. Decembris eiusdem anni 1548. ordinationes in Cathedrali habuit. Paulum Pontificem prædictum anno 1549. huc venientem excepit. Romam inde reuersus Pontifex, die 2. Nouembris decessit. Quem Nicolaus Cardinalis Rodulphus sequutus est, postero anno 1550. Kal. Februarij. Nicolaus vero Vgolinus Antistes rursus

in Sabatho Sãctiſſimæ Paſchatis 1550. alias ordinationes habuit apud Eccleſiam S. Mariæ de Cella. Obijt anno 1551.

Sebaſtianus Gualterius Epiſcopus xxxviii.

SEbaſtianus Gualterius nobilis Vrbeuetanus Cathedralis patriæ ſuæ Archidiaconus, Iulij Papæ III. dũ Cardinalatus dignitate fungeretur, ſecretarius extitit, à quo Viterbienſis Epiſcopus, Nicolao Vgolino prædefuncto, die Aprilis 1551. deſignatus eſt. Die verò 21. Iunij eiuſdem anni Viterbium ſolemniter ingreſſus Epiſcopales Cathedrales adeptus eſt.

Iulius III. Pontifex Viterbij reſidens Cum Sebaſtiano Epiſcopo.

IVlius Papa 3. qui Ioannes Maria de Monte Cardinalis Præneſtinus vocabatur, anno 1553. poſt varia inter Imperiales, & Gallos certamina, cùm Etruria direptionibus incendijs, cædibuſq. flagraret, Viterbium ſe contulit cum tota Curia initio menſis Iunij, vt finem diſcordijs imponeret, Sebaſtianus Antiſtes obſequentiſſimus illi erat. Cuius auctoritate oppidũ Balneareæ, ad Epiſcopalem tunc Viterbij ſedem pleno iure pertinens, ad certum tempus locauit. Pontifex prætereà mirabilem Diuæ Mariæ imaginem ſupra Quercum viſitauit, Sacrumq. Dominico die in eius Aede celebrauit. Die autem 11. eiuſdem menſis bullam hic emanauit cũ prohibitione mercandi ſal externum in locis S. Rom. Eccleſiæ. Bellum Senenſium, aliaquè diſſidia omni ſtudio auertere curauit. Inde rebus infectis Romã reuer-

fus est. Sebastianus vero Episcopus anno 1560. à Pio Papa 4. Nuncium Apostolicum in Galliam ad Regē Christianissimũ ablegatus fuit. Cōcilio Tridentino postmodum interfuit: cuius gesta, & accidentia in tomos vndecim digesta conscripsit. Anno deinceps 1564. à Cōcilio reuersus diæcesanam Synodum Viterbij celebrauit. Sermonum volumen elegantissimè composuit; Denique die 11. Septēbris 1566. graui morbo correptus; testamentum manu propria descriptum condidit, & Sacristiæ Cathedralis Viterbien. peristromata cum saphiro suo legauit; die autem 26. eiusdem mensis summa cum laude mortuus est, ac in eadem Ecclesia sepultus. Cuius corpus cum ad Vrbeuetanam Cathedralem trāsferendum esset, hoc ibi legitur Epithaphium, marmore sculptum.

D. O. M.

SEbastiano Gualterio Episcopo Viterbien. Viro probitate integritate, rerum maximarum vsu, animique magnitudine, ac in secunda, aduersaq. fortuna perpetua constantia, charissimo, Iulio 3. Marcello 2. Paulo 4. & Pio 4. Pōt. Max. quod Catholicæ Religionis defensor acerrimus, quodq. in legationibus in Galliam semel atq. iterum obeundis; rebusq. in Tridentina Synodo praclare gerendis, summa fide, summaq. prudētia præditus esset. Gratissimo suis, alijsq. omnibus, quod de ipsis bene merēdo omnes omnium charites, beneficentiasq. superauit, Clarissimo, Iulius Gualterius hares ex testamento posuit. Vixit ann. 53. m. 8. d. 3. obijt 26. Sept. 1566.

Ioannes Franciscus Card. Gambara Episc. XXXIX.

SEbastiano Gualterio prædefuncto, Ioannes Franciscus Gambara Brixiensis à Pio Papa 4. Cardinalis Creatus, à Pio V. Episcopus Viterbien. electus est, die 24. Decēbr. 1566. solēniter, & splēdidè Episcopatus

 possessio-

possessionem appræhendit, die 24. Decẽbris eiusdẽ anni. Cũ autẽ Cathedralis Viterbien. Canonicatus valde tenues essent, anno 1568. Collegiatarũ S.Mariæ Nouæ S. Stephani,& S.Matthei,aliarũquè Parrochiarũ prebẽdis abrogatis, illas dictæ Cathedrali vniuit. Diæcesanam Synodũ anno 1573. Viterbij celebrauit. Reliquias plurimas sãctorũ in ipsa Cathedrali reposuit. Quã antiquitate collabentẽ restituit; amplificauit, ac illustrauit; vt inscriptiones cum insignibus suis vndiquè indicant. Anno verò 1576. suffraganeus datus ei fuit.

Carolus Montilius Episcopus xxxx.

CArolus Mõtilius Casalensis,Archiepiscopus Amalphitanus,sub Gregorio 13. die Aprilis 1576. Episcopus Viterbien. Ioannis Frãcisci Cardinalis de Gãbera suffraganeus designatus est. Cathedram mox assecutus eodẽ anno,& postero, ingẽtia Locustarũ agmina agrum Viterbij ita infestarunt,vt omnia consumpserint, Quæ ad earum internecionem,hominũ potentia perficere non poterat, piæ Virginis Deiparæ gratia (cui ad eius imaginẽ supra Quercum se Ciuitas deuouerat) miraculosè peracta sũt. Quo tẽpore,nempe die 8. Aprilis. 1577. Ioannes Franciscus ipse Card. Viterbij tũ agens, assistente Carolo suffraganeo, eãdem Ecclesiã S.Mariæ supra Quercũ, eiusq. maius Altare consecrauit: vt iscriptio ibi apposita docet. Anno verò 1578. die 15. Septẽbris iterum Card. Viterbiũ profectus,Gregoriũ 13. Põtificẽ, qui præfatam Sacratissimæ Virginis imaginẽ visitatũ venerat,Balneareæ,& Viterbij splendidè,ac omni prorsus obsequio hospitatus est. Anno autem 1581. Carolus Episcopus, vnà cũ Carolo de Comitibus Pro-

legato,

legato, Cõseruatoribus Ciuitatis, ac vniuerso Clero,& populo solemnissimam processionẽ egit pro delatione voti locustarum ad eamdem gloriosæ Virginis Aedem. Diæcesanam Synodũ Carolus Antistes 4. idus Martij 1584. Viterbij celebrauit. Romæ subinde defũcto Cardinale de Gambera die is. Kal. Iunij 1587. eiusq. corpore Viterbiũ translato, & in dicta Ecclesia Quercus apud Altare maius cõdito, Carolus ipse absolutus Episcopus remansit. Postmodum à Gregorio 14. Carolus Florentiã ablegatus, in eius reditu, annò 1589. 17. Kal. Iulij, primum iecit lapidẽ noui tẽpli miraculose imaginis Diuæ Mariæ de Hedera iampridem in quodam ostij fragmẽto hederaceo cespite vndique cooperto, obiter visibilis redditæ. Rursus à Clemente Papa 8. Cũ Philippo Cardinali de Sega legato, in Galliam missus, in suo recessu, dum Orbel esset, repentino morbo præuentus occubuit, die 10. Aprilis 1594.

Hieronymus Mattheuccius Episcopus xxxxi.

Hieronymus Mattheuccius Firmanus Archiepiscopus Ragusinus, ab illa Sede absolutus, Episcopus Sarnensis effectus est. Inde ad Episcopalẽ Viterbij Cathedram regendam à Clemente Papa 8. die 1594. Carolo Montilio prædefuncto translatus, die ... Ianuarij 1595. solẽni ritu posessione eius appræhendit. An. autẽ 1597. die 25. Aprilis Clementem ipsum Pontificẽ Viterbij excepit; qui Sacro in Cathedrali celebrato, ad Castrum S. Martini se contulit: inde Tuscanellam, Romam per Ciuitatem vetulã reuersurus. Obijt Hieronymus Viterbij. & in eadem Cathedrali sepultus est 13. kal. Februarij 1609. cuius tumulus cũ epitaphio ibi cernitur.

Lanfrãcus Margotius Card. & Episc. xxxxII.

HIeronimo Mattheuccio mortuo, Lãfrancus Margotius Parmẽsis Card. tit. S. Calisti à Paulo v. Põt. creatus, Viterbien. Episcopus eligitur eodẽ anno 1609. die Nusquàm Viterbium aduenit, minusquè sponsã suã visitauit: obijt enĩ Romæ die vltima Nouẽbris 1611. & in Aede S. Petri ad vĩcula tumulatus est.

Tiberius Card. Mutus Episcopus xxxxIII.

TIberius Mutus Romanus Caroli Vallis Mutiæ Ducis filius, ex canonico Diui Petri de Vrbe Præsul Viterbiensis die 2. Decembris 1611. à Paulo Papa V. cuius affinis, & Pincerna erat electus fuit. Pontificali pompa die 24. februarij 1612. Viterbium ingressus Cathedralem adiuit. Vniuersam Diœcesim eodem anno personaliter visitauit. Synodũ illius anno 1614. die 15. Ianuarij cũ duobussequẽtibus celebrauit. Ecclesias Visitationis, & S. Pauli in Mõte Oliueto cõsecrauit. Die verò 2. Decẽb. 1615. ab eodẽ Põt. Card. tit. S. Priscæ creatus est. Quã quidẽ dignitatẽ idẽ Põtifex Scipioni Cobellutio Viterbiẽsi pariter cõtulit die 19. Septẽb. 1616. Ciuitas interim Tuscanensis cũ Clero suo sub prætextu quod eorũ Ecclesia cum Viterbien. esset æquè & principaliter vnita, generalem Vicarium habere contendebat: causa inter eos & Episcopũ ipsum in sacro Rotæ Auditorio optime discussa, die 3. Martij 1617. Coram Caualerio decisũ fuit nullum ius Tuscanẽsibus in præmissis cõpetere. Tiberius quoquè alteram eius vniuersalẽ Synodũ egit diebus 18. & 19. Ianuarij 1624. Generalissimam Ciuitatis & Ciuium Viterbiensium bene-

dictionem

dictionem impetrauit. Quæ die 5. Aprilis 1634. solenniter celebrata fuit. Eodem anno, & mēse die 18. (ipso Antistite absēte) Sebastianus de Paulis Episcopus Nepesinus primum lapidem noui templi S. Iosephi Fratrum Carmelitanorum Discalceatorū huius Ciuitatis posuit. Demum post aliarum rerum piè, & laudabiliter gestarum gloriam, die 14. Aprilis 1636. maximo totius Ciuitatis moerore vitam cum morte commutauit, & in sua Cathedrali Ecclesia sepultus est. Cuius tumulus hoc Epithaphium habet.

D. O. M.

Tiberio tit. S. Priscæ S. R. E. Præsb itero Cardinali Muto Romano Viterbiensis, ac Tuscanensis Ecclesiæ Episcopo, Pio, munifico, Iusto Ecclesiasticæ libertatis Propugnatori, Populis sibi commissis non exemplo minus, quam legibus annos xxv. gubernatis, restauratis Episcoparum commoditati Palatijs, communi Ciuium luctu ex humanis erepto 18. Kal. Maij Anno salutis 1636. aetat. 72.

Alexander Card. Cæsarinus Episcopus xxxxiv.

ALexander Cæsarinus Cardinalis tit. SS. Cosmæ, & Damiani, spectatissimæ virtutis, ac exactæ religionis, tum natalibus, túm dignitate Eminentissimus, ab Vrbano 8. die 26. Aprilis 1636. Viterbiensis Antistes eligitur. Cathedram adeptus est die 12. Iunij. Die vero 6. Iulij eiusdem anni primarium lapidem fundamentorum nouæ S. Leonardi Ecclesiæ in via Farnesiana huius Ciuitatis solemni ritu posuit. Postero anno Seminarium tot annis Viterbij reuocatum restituit. Anno autem 1638. Die 13. Septembris grauibus præoccupatus negocijs Episcopalē sedē sūmo Pont. resignauit.

Franciscus Maria Brancacius Cardinalis Episcopus xxxxv.

DEmùm Franciscum Mariam è Brancacia Neapolitana præclarissima familia genitum, olim Caputaquensem Episcopum, Cardinalem tit. SS. Duodecim Apostolorum ab Vrbano 8. Summo Pōtifice creatum, ac die 20. Septembris 1638. Præsulem Viterbiensem electum, nunc in eius Cathedra optimè meritum, atq. feliciter sedentem, ætas nostra cernit. Die 25. Nouembris eiusdem anni splendidissima pōpa, ac totius Ciuitatis ineffabili plausu ingressus, ac exceptus est. In septimo supra annum suæ assumptionis mense constitutus, vniuersa eius diæcesi visitata, Synodo generali celebrato, cunctisquè functionibus peractis, Seminariū ab Antecessore inchoatum, & fere labefactatum, sustulit, restituit, atq. firmauit. Vtriusque Episcopalis Palatij, Cathedralisq. suæ ornamenta patent: eius animi magnitudinem, summam litterarum scientiam, ac exactissimam doctrinam, pietatem, Iustitiam, religionem, omnesq. egregias virtutes iam experti sumus. Principia quidem in vna quaque re maxima, progressus expectamus optimos, atq. felicissimos. Omnia sanè omnium huic Eminentiss. Antistiti debentur encomia: ego autem tantum virum in vita sua laudare non audeo, vox deficit, lingua silet; Deus Omnipotens ad vota secundet, & diuturna annorum serie incolumem seruet.

Index

INDEX

Lucidus

LAVS DEO.

INDEX

CAPITVLORVM.

INDEX RERVM, ET VERBORVM.

A.

B.

Bona

C.

Non

Festa

Matri-

Mor-

N.

P.

Errata

Errata			*Corrige*
Pag.	Verſ.		
9	13	Vmbellā	Vmbellæ
13	13	Confeſſione	Confeſſiones
14	11	Quoad vſurpantes bona Eccleſiaſtica &c. ſeruetur diſpoſitio Sac. Concil. Trid. ſeſs. 22. c. vlt. de refor.	
18	18	Ordineria	Ordinaria
21	11	talerem	Talarem
25	18	è Ciuitate	in Ciuitatem
29	6	etiam	quoq.
33	23	eius	eorum
36	11	deliquerit	deliquerint
ibidē	19	mediatas	medietas
37	17	Vitenbien	Viterbien
39	18	Papyo	Papyro
43	11	Expello	Iſpello